DE

ANIMALIBUS APUD VERGILIUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

A. LE BRETON

PARISIIS

APUD LECÈNE, OUDIN ET SOC., BIBLIOPOLAS

15, VIA DICTA DE CLUNY, 15

1895

DE

ANIMALIBUS APUD VERGILIUM

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

A. LE BRETON

PARISIIS

APUD LECÈNE, OUDIN ET SOC., BIBLIOPOLAS

15, VIA DICTA DE CLUNY, 15

1895

IN MEMORIAM

OPTIMI ET CARISSIMI MAGISTRI

G. MERLET.

ERRATA

P. 19,	*linea* 9	*pro*	prælia	*lege*	prœlia
34,	1		σφοδρα		σφόδρα
38,	14		quque		quæque
43,	13		abeo		ab eo
47,	6		buffonem		bufonem
50,	5		toties		totiens
59,	7		quum		cum
71,	10		Improvisam		Improvisum
80,	27		πετεωρίζει		μετεωρίζει
81,	13		apibu		apibus
89,	20		pas		pas-
90,	23		Gra-		Gram-
92,	19		gramina		gramine
95,	12		quum		cum
96,	12		minim		minimi
97,	16		habitu		halitu
101,	19		confere		conferre
104,	14		um		tum.

PROŒMIUM

Cum, urbanissimi cujusdam scriptoris laudationi addictus (1), apud viros feminasque duodevicesimi sæculi mente diu moratus sim, juvat e ratiocinantium societate ad simplicia animalia transire atque e lautis ædibus in agros erumpere.

Nec minus, latinas litteras jamjam relicturum, me ad Vergilium paulisper regredi eumque extremum affari juvat. Subit enim sæpius temporis desiderium, quo discipulus eum diligere cœpi et quo discipulis rursus ejus amorem injiciebam; neque ab amico clam discedere decet.

Ceterum, ecquis æquo animo tot opuscula ferre potest, quibus Germani Vergilium lacessunt, eique omnem laudem inventionis detrahere conantur? Quod jam apud istos in consuetudinem venit. Omnia et Græcorum et Latinorum scripta quibus æmulatus est a Vossio, Forbigero, Ribbeckio collecta esse non satis est: scholam ante deserere nolunt, quam ipsi edita thesi ejus rapinas cælo ostenderunt. In

(1) Rivarol, *Thèse présentée à la Faculté des lettres de Paris.*

Georgica præsertim, quo magis stupeamus, incurritur ; in quibus Knochius (1) quædam Vergilii esse concedit, Morschius (2) nulla. Et, hoc judice, cum Vergilius non nullas apes pulvereo sputo viatoris assimulet, Callimachus autem de spuente quodam homine mentionem olim fecerit, Callimachum Vergilius imitatur; et, judice illo, hæc etiam verba : *Nonne vides*, ex Arati carmine Vergilius subripuit, nec unquam de tauro : *Multa gemens ignominiam..... Multa reluctanti...*, dixisset, nisi de Achille : βαρὺ στενάχων, et de Andromache : πολλ' ἀεκαζομένη, ab Homero dictum esset. Quin proverbium, ad *Georgica* singulariter aptum : « Qui caules serit, imitator fit, » tam eruditis viris occurrebat? Eo tamen Morschius inter omnes eminet, quod aliena dicta pro « absurdis » habere solet, ipsique Vergilio « ineptiæ » crimen infert. Cui parum est Græcos poetas quorum opera manserunt cum Vergilio conferre : de quibusdam amissis et vix titulo notis carminibus doctissime disputat, et quam fideliter ea Vergilius secutus sit miratur. Nec tali viro Jacobus van Wageningen recta fronte adversari ausus est (3) ; oravit tantum ut non modo Græcos, sed etiam Romanos scriptores a Vergilio impudenter expilatos esse inter omnes conveniret.

(1) *Vergilius quæ Græca exempla secutus sit in Georgicis*, Lipsiæ, MDCCCLXXVII.

(2) *De Græcis auctoribus in Georgicis a Vergilio expressis*, Halis Sax., MDCCCLXXVIII.

(3) *De Vergilii Georgicis*, Utrecht, MDCCCLXXXVIII.

Quos quidem, cum omnes versus *Georgicon* ex aliis translatos, immo, singulos e multorum spoliis conflatos esse dictitaverint, alia thesi explicavisse velim quomodo tot furta tam exiguo loco contineri possent. Verum enim vero eam litem Maroni, quæ quondam apud nos Cornelio ceterisque intenta est, intendunt ; nec quicquam ista æstimandorum poetarum ratione obsoletius credo. Quid ille a prioribus æqualibusve sumpserit, vident ; quid novi suique addiderit, non vident.

Quoniam igitur in illius causam descendere mihi in animo est, unam parvamque rem, ut pro meis viribus, amplectar. Ne huc magnanimi heroes, ne pueri innuptæque puellæ advocentur. Nec Aeneæ pietate, nec Euryali Pallantisve virtute, nec Orphei cantu, nec Phœnissæ precibus, nec Andromaches lacrimis Vergilii gloria hodie defendenda est. E personis quibus animam afflavit, humillimæ compareant ; adsint pecudes et feræ,

> Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
> Rura tenent,

et disputanti Morschio obstrepant Vergilianæ apes !

CAPUT I

UNDE VERGILIUS ANIMALIA COGNOVERIT

Quantum locum in carminibus Vergilii animalia teneant, neminem fugit. Illa elegantioribus *Bucolicorum* pastoribus, fictis scilicet vera, adstant; illa primo secundoque libro *Georgicon* hinc atque illinc obrepsere, in tertio quartoque aperte stabulantur; illa denique in ipsa *Aeneide* aut actoris partes, ut Mezentii equus, defendunt, aut alicujus comparationis (1) obtentu viris deisque commisceri solent.

Unde apparet quam grata ei fuerint. Qui se cum illis tam libenter conversari confessus est, ut propositum horarumque fugam pæne oblivisceretur :

> Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
> Singula dum capti circumvectamur amore (2).

Quare, cum illa toto ingenio totoque pectore celebraverit, et de hac re vel cum uno Fontanio comparandus vel ipsi anteponendus sit, operæ pretium est quicquid de illis cecinit separatim expendere.

(1) Quæ comparationes tantum in libris III et VII desunt.
(2) G. III, 284-285.

Venit enim in mentem ipsum dixisse quanti hanc sui laboris partem faceret. In hac aut nusquam se poetam inventoremque esse declaravit, nec tam modesti viri declaratio spernenda est. An temere in illo demum libro, in quo de armentis pecudibusque est sermo, sic orsus est :

.... Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit,
Aonio rediens deducam vertice Musas ;
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas (1).

Quibus hæc adscribi decet :

Nec sum animi dubius verbis ea vincere magnum
Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem ;
Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptat amor ; juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo (2).

Haud ita loqueretur, si priores sequi satis habuisset, et e libris sua ætate notissimis omnia hausisset.

Non quod eum inde nihil hausisse contendam. Quin ! eo magis quæ de animalibus scripsit nova erant, quo studiosius rerum naturalium scriptoribus poeta se addixerat; doctus vir, nec qui in bucolicis crispos agnos pasceret.

(1) G. III, 8-12.
(2) G. III, 289-293.

Nempe erat in manibus Aristotelis liber Περὶ τὰ Ζῷα, a Cicerone et a Varrone jam laudatus (1); ad quem, ut animalia amore furentia caneret, recurrebat; ex quo multa de apibus extraxit. Quod mox comprobabitur. Quemadmodum autem usu Aristoteliæ scientiæ, qua periti viri etiamnunc obstupescunt (2), ad studium veri exardescere dædalamque rerum naturam vehementius admirari potuit, sic e Varronianis dialogis de re rustica aliquid fructus cepit. Quid enim si minor est Varronis quam Aristotelis doctrina? Qui pecuarias grandes habuerat (3), ei ruris major experientia inerat. Equidem, inter omnia opera quæ jam exstiterant et ad nos duravere, nullum invenio cujus tanta similitudo cum *Georgicis* sit. Quanquam apud Varronem ars Maronis ubique desideratur, fere eadem est utriusque libri materia, idem ordo. In primo dialogo, quis eligendus fundus, quæ habenda instrumenta, quid et quo loco et quo tempore aut serendum aut faciendum sit; in secundo, de re pecuaria; in tertio, de villaticis pastionibus, id est de ornithonibus, leporariis, piscinis, simulque de alveariis, præcipitur. Non aliter Vergilius, multis quidem quæ loquacissimus Varro tractaverat relictis primique dialogi argumento in duos

(1) *De Finibus bonorum et malorum*, lib. V, cap. IV. — *M. Terenti Varronis Rerum Rusticarum libri tres*, ex recensione Henrici Keilii; lib. I, I, § 8; lib. II, V, § 13.

(2) *Histoire des Animaux d'Aristote*, traduite par Barthélemy Saint Hilaire, préface.

(3) *Rer. Rustic.*, lib. II, I, § 6.

libros diviso, rem ordinavit. Nec Varronis opus, anno DCCXIX editum, ad suscipienda *Georgica*, quæ anno DCCXXVI edita esse creditur (1), parvi momenti fuisse veri simile est. Instituì certamen credas : seu arva ante Jovem a nullis colonis subacta (2), seu veterum Sabinorum Romanorumque vitam (3), seu Italiæ fertilitatem (4), seu denique Corycii senis hortum (5) canit, Varroni Vergilius æmulatur. De animalibus præsertim ab eo multa sumpsit quæ commendaret; in loco hæc singillatim memorabimus.

Præteritis autem Theophrasto Democritoque, ex quibus non nulla, sed ea quæ ad agrorum arborumque cultum pertinerent, in *Georgica* manavisse constat, carmina et Arati quæ inscribuntur Φαινόμενα καὶ Διοσημεῖα et Nicandri quæ inscribuntur Θηριακά ei de moribus animalium inquirenti aliquid auxilii tulerunt. Quod contra, in iis quæ de Nicandri *Georgicis* supersunt, nihil reperiri quod ejus versibus simile sit, demonstratum est (6); nec quisquam eum Menecratis carmine de agri cultura apibusque usum esse demonstrare potest, cum nemo nunc hoc carmen noverit neque unquam a

(1) Cf. G. Boissier, *Etude sur la vie et les ouvrages de Varron*, p. 54 et 367.

(2) G. I, 125-146. Varr. : lib. II, I, § 3-4 ; lib. III, I, § 7. Lucretio quoque hic poeta æmulabatur.

(3) G. II, 531-539. Varr. : lib. II, I, § 1-5.

(4) G. II, 135-175. Varr. : lib. I, II, § 3-11.

(5) G. IV, 116-148. Varr. : lib. III, XVI, § 10-11.

(6) Cf. J. van Wageningen : *De Vergilii Georgicis*.

veteribus Menecrates inter Vergilii magistros positus sit. Idem de Magone confiteamur, cujus opera, ut Menecratis, in promptu Varro habuit, nobis vero vetustas jampridem invidit (1).

Hæc de doctis. Concedatur pariter eum aliorum exemplis stimulatum esse ut animalium pulchritudinem tanta admiratione, innocentiam tanta misericordia prosequeretur. Jam enim apud Homerum, Hesiodum, Aristophanem, Lucretium, et in Græcis anthologicis pulchra illorum imago insidebat; jam aliquot Homeri Lucretiique versibus et de illis et de omnibus quæ mortalia sunt esse hominum lacrimas comprobatum erat; jam clamaverat Cato, cum de agri cultura et ipse præciperet, maximam reverentiam bobus deberi. Quid postea? Nobis omnia hæc reputantibus succurrit una laus : vergiliana sunt.

Quamvis enim ejus ingenium legendo adoleverit, non ea est lectionis virtus qua ingenii dotes rerumque experientia suppleantur. Nec, collectis libris quibus jam rus celebratum erat, quantus amor, quam altus intellectus ruris Vergilio fuerit, explicavisse mihi videor; nec, enumeratis scriptoribus qui aliquid aut docti aut artificiosi aut humani de animalibus dixerant, explicatur cur totiens animalia descripserit, qua descriptis animam afflaverit, deni-

(1) Quædam Magonis præcepta, ut scilicet de apum generatione, memorat Columella quæ Vergilii præceptis similia videntur; omnia vero hæc ab Aristotele aut a Varrone, a quibus jam dicta erant, Vergilius accipere potuit.

que cur de hac re ceteros cum eo, non eum cum ceteris comparari deceat.

Nempe, haud animalia, quamdiu vixit, cecinisset, nisi ea pro amicis omnium horarum habuisset. Pauca quidem de ejus vita moribusque nobis tradita sunt. Sive tamen pater « rusticus » (1), sive « Magi cujusdam viatoris initio mercennarius, mox ob industriam gener » (2) fuit, Vergilium in pago inter colonos et villaticas agrestesque bestias primum crevisse non ignoramus. Cum bestiis in familiaritatem a pueritia venit; pueritiam recordanti earum simul memoria obversabatur. E cunctis versibus, in quibus de hoc suæ vitæ tempore aliquid confiteri videtur, vix unum aut alterum excerpas cui mentio earum desit. Nescio an et ipse puer capellas paverit et de rupe pendentes viderit (3), quas præcipuo amore prosequebatur; nescio an locum quo palumbes congererent (4) notaverit. Quæ postea ad exprimendam autumni dulcedinem composuit, in patria villula sentire potuerat :

Venit hiems ; teritur Sicyonia bacca trapetis ;
Glande sues læti redeunt ; dant arbuta silvæ ;
Et varios ponit fetus autumnus, et alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea dulces pendent circum oscula nati ;

(1) *Vita Vergili de Commentario Valeri Probi sublata* (*C. Suetoni Tranquilli reliquiæ*, Reifferscheid, p. 52).
(2) *Vergilii Vita de Commentario Donati sublata* (ibid., p. 54). Cf. etiam Macrob. *Sat.*, V, 2, 1.
(3) Buc. I, 75-76.
(4) Buc. III, 68-69.

Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccæ
Lactea demittunt, pinguesque in gramine læto
Inter se adversis luctantur cornibus hædi (1).

Suum certe agellum mente revisebat, cum pascua palude limosoque junco obducta et turturem in ulmo gementem et apes in sæpe susurrantes laudabat (2) : apes ejus patri fuisse et inde « substantiæ reculam » auctam esse Donatus narravit (3). *Nota* vero *flumina* et nos novimus, Padum scilicet Minciumque. O quotiens et quo amore suum Mincium celebravit ! Quotiens eum tardis flexibus errantem, quotiens ripas arundine prætextas depinxit ! Hic e quercu examina resonare ; huc juvencos per prata potum venire ; hic niveos cycnos in flumine herboso pasci ; hic piscantium avium clangore æthera strepere (4).

Ea prima fuit Vergilii, nondum in urbem missi, schola ; hinc primum animalia amavit. Posterius quidem ad ampliorem educandarum pecudum scientiam studendo pervenit : quid vero sine amore sit scientia ? Ne quis me temerariis conjecturis uti conqueratur : is contra temerarius qui Vergilium, cum rure natus sit ibique creverit, nec cum bestiis esse conversatum nec quæ pastores dictitarent au-

(1) G. II, 518-525. Cf. G. Boissier : *La Religion romaine*, I, p. 248-252.
(2) Buc. I, 46-58.
(3) *C. Suetoni Tranquilli Reliq.*, p. 54.
(4) Buc. VII, 11-13; G. II, 197; G. III, 14-15; Aen. XI, 457-458.

divisse contendat. Ille bubulcorum et caprariorum sermoni de gregibus canibusve adfuit ; ab eis avium nomina moresque accepit. Et quæ sub noctem in tecti culmine ulularent, et quæ bruma per cælum longo ordine vel facto cuneo advenæ fugerent, didicit ; et prædam recentem, in media palude aut silva deprehensam, reportantibus obvius, apri setas aut cervi cornua inhians mirabatur. Quo diuturno cum colonis pastoribusque contubernio alia animalia alio tempore occurrere memor, ad designandas horas eorum nominibus lepide uti consuevit (1) ; nec alia ratione tempus vitis serendæ adesse :

.... cum vere rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris (2),

et aliquid quod vere jam propinquante necdum rubente gerere oportet, prius gerendum esse præcipit

Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo (3),

et oriente sole cantus volucrum sub culmine (4),

(1) Eadem ratione, aliis autem verborum imaginibus, arandi tempus advenisse Hesiodus dicit :

.... εὖτ' ἂν γεράνου φωνὴν ἐπακούσῃς,
ὑψόθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης.

["Εργ. καὶ Ἡμ., 446-447.]

Cf. etiam 580-581 ; 583; ac præcipue 679-681 :

Ἦμος δὴ τὸ πρῶτον, ὅσον τ' ἐπιβᾶσα κορώνη
Ἴχνος ἐποίησεν, τόσσον πέταλ' ἀνδρὶ φανείη
Ἐν κράδῃ ἀκροτάτῃ, τοτε δ' ἀμβάτος ἐστι θάλασσα.

(2) G. II, 318-319.
(3) G. IV, 307.
(4) Aen. VIII, 456.

et meridie lacertos spinetis occultatos (1), cicadisque resonantia arbusta (2), et vespere juvencos aratra suspensa jugo referentes (3) memorat. Neque, etsi quædam similia apud Græcos poetas reperiri non nescio, rusticorum colloquiorum quibus olim interfuerat nullam imitationem his comparationibus aut proverbiis inesse opinor :

Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram (4).
Triste lupus stabulis (5).
Atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos (6).
Certent et cycnis ululæ (7).
..... lupi Mœrim videre priores (8).

Romæ vero, quo venerat anno DCCI, aliquid temporis mansit; domum Esquiliis juxta hortos Mæcenatis habuit ; neque, si Donato fides est adhibenda, in Campania ita sedit senuitque ut in Urbem nunquam remearet, nunquam ibi « in publico viseretur » (9). Quisnam ergo spectandis circensibus, quorum studio omnes pæne insaniebant, eum omnino obstinateque abstinuisse putet ? Jampridem a M. Fulvio Nobiliore, et a Scipione Nasica Publioque

(1) Buc. II, 9.
(2) Buc. II, 10.
(3) Buc. II, 66.
(4) Buc. I, 22-23.
(5) Buc. III, 80.
(6) Buc III, 91.
(7) Buc. VIII, 55.
(8) Buc. IX, 54.
(9) *C. Suetoni Tranquilli Reliq.*, p. 57.

2

Lentulo ædilibus, et a M. Aemilio Scauro et a Cn. Pompeio omnigenæ feræ ex omnibus terris in circum permagno pretio, numero incredibili, erant devexæ (1) ; jampridem ad renovanda gaudia togatæ gentis in circo spatiari præliarive cœperant. Anno DCCVIII, Vergilio fortasse in natalem pagum ab Urbe nondum regresso, per dies quinque continuos ludi a Cæsare editi sunt, quorum magnificentia nunquam superata est ; nec Augusto illarum venationum minor cura, quo regnante tria millia et quingentæ feræ ex Africa coram spectatoribus cæsæ sunt.

Tigres quidem, quos vivos capi posse Varro negabat, non nisi post mortuum Vergilium Romæ exhibiti sunt. Ante vero comparuerant elephanti, crocodili, hippopotami, camelopardales rhinocerotesque, de quibus nullam mentionem fecit. At leones quoque, quorum multitudo nulli venationi defuit, et lucanos numidasque ursos, et apros, aut cum bestiariis aut alios cum aliis commissos, adspectare licuit, nec frustra. Licuit taurorum certaminibus, a Cæsare institutis ac sæpe instauratis, assidere ; in quos nunc leones, nunc equites mittebantur :

..... spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena (2).

(1) Friedländer, *Mœurs Romaines*, trad. par Ch. Vogel, II ; inde omnia quæ ad circenses pertinent, hausimus.

(2) Aen. XII, 339-340.

Quibus spectaculis ita Romani oculos pectusque assuefecerant, ut semel sauciorum, elephantorum scilicet, dolores indignati sint presserintque pollicem. Quippe ea erat tot belluarum insilientium sævientiumque pulchritudo, qua ipsius rei atrocitas aut minui aut etiam aboleri videretur. Nonne et Vergilium, quamvis repugnaret misericors animus, interdum huc adductum allectumque esse conjiciendum est, cum aliter, unde prælia mortemque quarundam ferarum tam vere tragiceque depingere didicerit, vix intellegamus (1)? Nonne et aliis versibus, quibus vel quadrigas e carceribus erumpentes et pronum aurigam lora concutientem et spectantium studia fremitumque (2), vel Trojanos ludos ab Augusto restitutos (3) ex re descripsit, se circensium non ignarum esse ipse confirmavit? Nequaquam enim errabat eruditus quidam vir cum opportunos ad observandam animalium formam naturamque circenses fuisse, nec pictorum, statuariorum, scriptorum arti parum profecisse opinaretur (4).

Tum, eodem tempore, alii loci ad ea e proximo inspicienda suppetebant. Nam omnis eques patriciusve, cui aliquis sui respectus erat, curabat ut villa aliis feris, minoribus quidem mitioribusque,

(1) Inde etiam facilius intellegitur indignatio qua viros leonem aggressos *latrones* vocat (Aen. XII, 7). Cf. de feris in insula Circes captivis H. de la Ville de Mirmont, *Apollonios de Rhodes et Virgile*, Paris, 1894, p. 130–131.

(2) G. I, 512-515; III, 102-112; Aen. V, 144-147.

(3) Aen. V, 553-603.

(4) Friedländer, II, p. 145.

abundaret. Libet, duce Varrone, lautissimas villas quas Vergilius adire potuit rursus mente adire; libet ornithones, leporaria, piscinas recognoscere. Nec in leporariis lepores solum, sed etiam apri, capreæ, cervi, immo, apes, glires, cochleæ; in ornithonibus pavones, turtures, anseres, anates, querquedulæ, turdi; in piscinis pisces et in aqua dulci et in marina versantur; ad augendas delicias divitiasque simul domini pullulant. Ex ornithone unius quinque millia turdorum denariis ternis venisse scit Varro, ut sexaginta millia ea pars villæ uno anno reddiderit (1). In sua, quæ sub Casino posita est, ornithona sic disposuit, ut in medio mensa, axi imposita, ab uno puero verteretur, omniaque et ad bibendum et ad edendum ipsa ad omnes convivas admoveret. Quos circum innumeræ aves, maxime cantrices, ut lusciniolæ ac merulæ, intra retem volitant garriuntque, et in proximo stagno anates ludunt (2). Hæc videlicet, ut Varronis verba referam, palatum suave Romanorum paravit (3); eos tamen ad agrestia animalia propius sic accessisse et præsentibus gavisos esse et de illis peritiores evasisse apparet.

Quid vero? Illa in villis, ut in circo, captiva erant; aliquid nativæ decoræque feritatis in lepo-

(1) *Rer. Rustic.*, lib. III, II, § 15.

(2) Lib. III, v, § 9-18. Cum quo ornithone rusticam ædiculam quam Palissy mente conceperat ac suo libro (Cf. la *Recepte Véritable*) descripsit, conferre poteris.

(3) Lib. III, III, § 7.

rariis exuebant, cervi instar qui cotidie a Silvia pexus lavatusque et mollibus sertis ornatus sponte domum reverti solebat, Iuli telo debitus (1). Quibus vere agrestia Vergilius videtur antetulisse. Ei, quo minus hominum imperium disciplinamque senserunt, eo magis placent : qui pauca de canibus, de mulis gallinisve nihil, multa autem de juvencis equuleisque, de apibus, de maris avibus, de serpentibus variisque feris dixit. Hi in Mantuanis agris crescenti placuerant ; hi in Campania Siciliaque rusticanti et ignobilis otii studiis florenti placuere.

Quin etiam ! Num qui venantibus se nullo tempore miscuisset, venandi voluptatem tam vivide expressisset ? Ne, precor, Vergilium perpetuo ægrotantem, pallidum, extenuatum, jam jamque moriturum et erranti umbræ similem, quales olim in litteris nostri sæculi poetas depingere mos erat, nobis fingamus. Quam ejus fuisse Donatus ceterique narraverunt, valetudo non obstitit quin Italiam identidem trajiceret, Horatioque Brundisium petenti comes iret. — At bestias, quas amabat, venari noluisset. — Quid hoc rei est ? Pro me responsum det Fontanius quem cursitantibus auroramque salutantibus cuniculis a summa arbore insidiari et necem parare minime puduit (2). Quos agrestium bestiarum facta audire et narrare maxime

(1) Aen. VII, 483-502.
(2) Livre X, fable v.

juvat, qui earum gratiam intelligentiamque maxime mirantur, illi demum venatores fiunt ; earum latebras lustraque rimantur, eas in secretis silvarum paludumve quæritant : adeo timida fugaciaque animalia, lepores, scolopaces, anates, assequi et manibus tractare gestiunt ! Quod uno hoc verbo : « feras captare » (1) Vergilius feliciter expressit. O quam longe ab eo Gratius Faliscus Nemesianusque distant qui tamen venaticis quæstionibus solida carmina explevere ! Isti quidem de canum delectu, de cassibus, de punicearum pennarum utilitate sollerter disserunt ; venatoris suris fascias, et umeris manticam curtamque chlamydem, et capiti e mele cana galerum, et lateri cultrum Toletanum, et dextræ formidabilem falaricam aptant (2), ut ille non in agros, sed in officinam pictoris ire videatur : de ipsius venatus capturæque gaudiis tacent. Hæc apud Vergilium

(1) G. I, 139. Cf. Tolstoï, de scolopacibus (*Anna Karénine*, I, 167-170 ; II, 196-206) ; de feris (*les Cosaques, passim*). Toussenel : *l'Esprit des bêtes ; le Monde des oiseaux.*

(2) Cf. Falisci *Cynegeticon :*

..... Factusque ades omnibus armis ;
Arma acuere viam. Tegat imas fascia suras ;
Sitque umeris vitulina tuis, aut tergore fulvo
Mantica, curta chlamys, canaque e mele galeri ;
Ima Toletano præcingant ilia cultro ;
Terribilemque manu vibrata falarica dextra
Det sonitum, et curva rumpant non pervia falce.

Cf. de noto quodam viro ad venandos petasos instructo, *Tartarin de Tarascon ;* aut de elegantiore illo venatore Vassinka Weslowsky quem Tolstoï tam facete descripsit, *Anna Karénine*, II, 194-212.

invenies. Scit quo tempore gruibus pedicas et cervis retia ponere, dammas figere, auritos lepores sectari oporteat (1) ; et qua animi commotione venator, præda prospecta, consistat arcumque corripiat (2) ; et quo virorum clamore, quo canum latratu, quo equorum hinnitu aper aut cervus ad retia prematur (3). Cervum sub cultro rudentem audiit (4) ; capreas a saxi vertice desilientes jugisque decurrentes adspexit (5). Non ille in describenda rusticæ vitæ felicitate venatum omisisset (6) : ut sollicitos amores Galli venatu solaretur, tentavit (7).

Quodsi mihi talia conjicienti parum confidis, ne saltem dubita quin Vergilius in campis, in saltibus, secundum flumina marisve litora, modo mane, modo vespere, reptare ac meditari consueverit. Nec solum Corycii senis, sed omnium etiam qui rus aut incolunt aut desiderant, colloquio indulgebat. Sic, vel cum doctorum libros poetarumque carmina reminisceretur, de animalibus sincera atque sua dixit ; sic tam diversa genera recognovit, ne minima quidem aspernatus : nullum, præter tigrem, nominavit, quin cognoscere ipse

(1) G. I, 307-310.
(2) Aen. I, 187.
(3) G. III, 409-413 ; Aen. I, 324 ; IV, 156-159.
(4) G. III, 374-375.
(5) Aen. IV, 152-153.
(6) G. II, 470.
(7) Buc. X, 56-60.

potuerit. Sunt et in ejus carminibus ornithones ac leporaria, eis quæ citro, auro, minio, lithostroto quidam honestabant (1) pulchriora amplioraque : nempe ipsius ruris halitus hic errat.

(1) *Rer. Rustic.*, lib. III, II, § 4.

CAPUT II

QUID DOCTI DE ANIMALIBUS PRÆCEPERIT

Non hoc sibi Vergilius proponebat, ut naturalem historiam æquales suos doceret ; ne illud quidem, ut omnia quæ ad parandum pascendumque pecus pertinent carmine digereret. Et Aristoteli partes elementaque e quibus animantium corpus constat describenda, et Varroni leges de pecudum emptionibus formulasque emptionum recensendas relinquit ; nec castam Musam rogat quo tempore juvenci castrandi sint, nec scabit caput unguesve vivos rodit ut versibus explanet qua dentium figura ætas equorum declaretur. Haud componendo libello quo agrestis popellus cotidie uti possit, sed celebrandæ ruris gloriæ studet : nempe poeta est.

Nec tamen ita parvam de animalibus scientiam (1) sibi comparavit. Quam ut recte expendamus, quæ apud veteres fuerit potius quam quæ

(1) Nec minorem de arboribus plantisve, de quibus hic non disputandum est. Eum in indice librorum XIV, XV, XVII, XVIII, XIX qui ad arborum plantarumque naturam pertinent, inter suos auctores Plinius posuit. Cf., in collectione cui Lemaire nomen dedit, *Flora Virgiliana*.

apud nos sit de his scientia reputare decet. Sic apparet illum multa, ut pro eo tempore, cum legendo, tum audiendo spectandoque didicisse.

*
* *

Mihi quidem in animo non est ita Vergilium cum Aristotele ac Varrone conferre ut singulis versibus *Georgicon* quicquid simile in utriusque libris sit subscribam. Quod faciat, si quis Vergilium rursus edere velit ; immo, hoc jam a Forbigero aliisque fere perfectum est. Commemoranda tantum sunt aliquot præcepta, quibus poetam se doctorum virorum scriptis studiose applicavisse primum comprobetur.

De vitulis jam adultis ad usum agrestem formandis Vergilius sic præcipit :

Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici subnecte ; dehinc, ubi libera colla
Servitio assuerint, ipsis e torquibus aptos
Junge pares et coge gradum conferre juvencos ;
Atque illis jam sæpe rotæ ducantur inanes
Per terram et summo vestigia pulvere signent ;
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat et junctos temo trahat æreus orbes (1).

Fere idem est Varronis sermo : « Novellos cum quis emerit juvencos, si eorum colla in furcas destitutas incluserit ac dederit cibum, diebus paucis

(1) G. III, 166-173.

erunt mansueti... Tum ita subigendum, ut minutatim adsuefaciant et ut tironem cum veterano adjungant..., et primum in æquo loco et sine aratro, tum eo levi, principio per harenam aut molliorem terram. Quos ad vecturas, item instituendum ut inania primum ducant plaustra (1). »

Exponitur ratio qua ad circenses aut ad bella equos educare oporteat :

Primus equi labor est animos atque arma videre
Bellantum lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantes (2).

Miraris, credo, hunc equuleum ad spectandos milites duci. Quid vero ? Magis mirum est Varronis præceptum : « Interdum imponere iis (scilicet equis nondum domitis) puerum bis aut ter pronum in ventrem, postea jam sedentem (3). » Quam timeo ne puer is, in ventrem nuper pronus, pronus mox in caput volvatur ! Frenos autem in stabulis suspendi et Varro narrat : « ut eculi consuescant et videre eorum faciem et e motu audire strepitus (4). » Hæc de anniculo equo ; at exactis tribus annis :

Carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare
Compositis.
Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere jam domitis sinito : namque ante domandum

(1) Lib. I, xx, § 2. Cf. Colum. lib. VI, cap. II.
(2) G. III, 182-184.
(3) Lib. II, VII, § 13.
(4) Id., § 12.

Ingentes tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati et duris parere lupatis (1).

Non aliter Varro : « Sunt qui dicant post annum et sex menses eculeum domari posse, sed melius post trimum, a quo tempore farrago dari solet (2). »

Agricolas hortatur Vergilius ut ante admissuram mares a feminis secernere (3), et tunc pabula maribus ministrare, feminis negare (4), et matrum delectum quotannis facere (5), et gravidas ab omni labore omnibusque curis liberare (6), et eas mane aut primo vespere ad vitandos asilorum incursus pascere (7) diligenter curent. Quæ omnia jam Varroni probata erant.

Cavendum esse a capellis poeta dictitat : has culta urere (8), has viti imprimis nocere :

.... illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur (9).

Memoravit Varro hoc in legibus colonicis scrip-

(1) G. III, 190-208.
(2) Lib. II, VII, § 13.
(3) G. III, 209-218. Varr. : lib. II, I, § 18 ; II, V, § 12.
(4) G. III, 123-137. Varr. : lib. II, I, § 17 ; II, V, § 12.
(5) G. III, 63-71. Varr. : lib. II, V, § 17.
(6) G. III, 138-145. Varr. : lib. II, V, § 14.
(7) G. III, 146-156. Varr. : lib. II, V, § 14 ; II, II, § 10-11.
(8) G. II, 195.
(9) G. II, 377-380.

tum esse : « Colonus in agro surculario ne capra natum pascat. » Tum : « Eæ, ait, omnia novella sata carpendo corrumpunt... Sic factum ut Libero patri, repertori vitis, hirci immolarentur (1). »

Hircos Vergilius laudat quod eorum barba comantesque setæ tondentur

Usum in castrorum et miseris velamina nautis (2).

Varro quoque : « Capra e pilis ministrat ad usum nauticum et ad belli tormenta (3). » Nec minus ab utroque quantus sit capellis silvestrium ruborum amor (4) memoratur.

De apibus, quamvis sæpius Aristotelem consuluerit, non nulla a Varrone accepit ; quosdam scilicet locos vitandos esse :

... ... ubi concava pulsu
Saxa sonant vocisque offensa resultat imago....

« Melittonas ita facere oportet,... ubi non resonent imagines (5). »

In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices et grandia conjice saxa,
Pontibus ut crebris possint consistere et alas
Pandere ad æstivum solem...

« Cibi pars quod potio et ea iis aqua liquida,

(1) Lib. I, II, § 17-19; lib. II, III, § 7.
(2) G. III, 313.
(3) Lib. II, XI, § 11.
(4) G. III, 314-315. Varr. : lib. II, III, § 7.
(5) G. IV, 49-50. Varr. : lib. III, XVI, § 12.

unde bibant esse oportet, eamque propinquam, quæ præterfluat aut in aliquem locum influat..... in qua aqua iaceant testæ aut lapilli, ita ut extent paulum, ubi adsidere et bibere possint (1). »

Solæ communes natos, consortia tecta
Urbis habent, magnisque agitant sub legibus ævum,
Et patriam solæ et certos novere Penates ;
Venturæque hiemis memores, æstate laborem
Experiuntur, et in mediis quæsita reponunt.....

« Eæ apes non sunt solitaria natura, ut aquilæ, sed ut homines... Hic ratio atque ars, ab his opus facere discunt, ab his ædificare, ab his cibaria condere... Hæc ut hominum civitates, quod hic est et rex et imperium et societas (2). »

At suffire thymo cerasque recidere inanes
Quis dubitet ?...

« Favi qui eximuntur, siqua pars nihil habet aut habet incunatum, cultello præsicatur...... Verno tempore et æstivo fere ter in mense mellarius inspicere debet fumigans leviter eas (3). »

Continuo est ægris alius color ; horrida vultum
Deformat macies....

« Minus valentium signa, si sunt pilosæ et horridæ, ut pulverulentæ (4). »

(1) G. IV, 25-29. Varr. : lib. III, xvi, § 27.
(2) G. IV, 153-157. Varr. : lib. III, xvi, § 4, § 6.
(3) G. IV, 241-242. Varr. : lib. III, xvi, § 34, § 17.
(4) G. IV, 254-255. Varr. : lib. III, xvi, § 20.

Hæc autem subtilia eruditaque de diversis rebus quibus apes ad linendam sedem uti solent, Aristoteli potius quam Varroni reddenda esse mihi videntur :

> . . . . Neque illæ
> Nequiquam in tectis certatim tenuia cera
> Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
> Explent, collectumque hæc ipsa ad munera gluten
> Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ (1).

Nempe, hoc quidem apud Varronem legitur : « Extra ostium alvi opturant omnia qua venit inter favos spiritus quam erithacen appellant Græci... Erithacen vocant, quo favos extremos inter se conglutinant, quod est aliud melle et propoli... Propolim vocant, e quo faciunt ad foramen introïtus protectum ante alvum maxime æstate (2). » Eadem vero jam clariusque exposuerat Aristoteles : *Οἰκοδομοῦσι τὰ κηρία, φέρουσαι τῶν τ' ἄλλων ἀνθέων καὶ ἀπὸ τῶν δένδρων τὰ δάκρυα,... τούτῳ δὲ καὶ τὸ ἔδαφος διαχρίουσι,... καλοῦσι δ' οἱ μελιττουργοὶ τοῦτο κομμωσίν... Περὶ δὲ τὸ στόμα τοῦ σμήνους τὸ μὲν πρῶτον τῆς εἰσδύσεως περιαλήλιπται μίτυϊ,... ἡ δὲ συνεχὴς ἀλοιφὴ τούτῳ πισσόκηρος* (3).

Aristotelis enim librum quem ipse Varro legerat, attentius legit Vergilius, ita ut multa ab hoc neglecta inde excerperet :

(1) G. IV, 37-41.
(2) Lib. III, xvi, § 8, § 23.
(3) Περὶ τὰ Ζῷα, lib. IX, cap. xl (xxvii), § 3, § 5 (ed. Didot).

At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentes
Ipse manu salsasque ferat præsepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis et magis ubera tendunt
Et salis occultum referunt in lacte saporem (1)...

Πιαίνει δὲ μάλιστα τὸ πρόβατον τὸ ποτόν · διὸ καὶ τοῦ θέρους διδόασιν ἅλας διὰ πέντε ἡμερῶν μέδιμνον τοῖς ἑκατόν · γίνεται γὰρ οὕτως ὑγιεινότερον καὶ πιότερον τὸ ποίμνιον. Καὶ τὰ πολλὰ δὲ ἁλίζοντες διὰ τοῦτο προσφέρουσιν, οἷον ἔν τε τοῖς ἀχύροις ἅλας πολλούς.... Τοῦτο γὰρ καὶ γάλα ποιεῖ πλεῖον... Πρός τε τοὺς τόκους ἁλιζόμεναι μείζω τὰ οὔθατα καθιᾶσιν (2).

Præcipit Vergilius, si quis alvearium struat, cavendum esse ab ovibus, hædis, buculis, lacertis, volucribusque, præcipue merope et hirundine (3) : Ἀδικοῦσι δ'αὐτὰς μάλιστα οἵ τε σφῆκες καὶ οἱ αἰγίθαλοι καλούμενοι τὰ ὄρνεα, ἔτι δὲ χελιδὼν καὶ μέροψ. Θηρεύουσι δὲ καὶ οἱ τελματιαῖοι βάτραχοι (4).

Perlecta hac Aristotelis sententia : Ἄρχονται δὲ τῶν ἱστῶν ἄνωθεν ἀπὸ τῆς ὀροφῆς τοῦ σμήνους (5), intellegitur quam docta simul et concinna sint Vergilii verba :

.... deinde tenaces
Suspendunt ceras (6),

(1) G. III, 394-397.
(2) Lib. VIII, cap. x (xii), § 1.
(3) G. IV, 10-17.
(4) Lib. IX, cap. xl (xxvii), § 16.
(5) Lib. IX, cap. xl (xxvii), § 4.
(6) G. IV, 161-162.

quæ laudare nequeo quin eum de apibus sedem deserentibus non minus apte dicere meminerim:

..... et frigida tecta relinquunt (1) ;

quemadmodum enim alvearium in quo versantur mirum in modum incalescit, sic eis fugientibus fugit calor.

Alias apes alio munere fungi narrat Vergilius, quod ab Aristotele narratum est :

Namque aliæ victu inviligant, et fœdere pacto
Exercentur agris ; pars intra sæpta domorum
Narcissi lacrimam et lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina.
Aliæ spem gentis adultos
Educunt fetus ; aliæ purissima mella
Stipant et liquido distendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inque vicem speculantur aquas et nubila cæli,
Aut onera accipiunt venientum, aut, agmine facto,
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent....
Cecropias innatus apes amor urget habendi
Munere quamque suo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, et dædala fingere tecta.... (2).

Εἰσι δ' αὐταῖς τεταγμέναι ἐφ' ἕκαστον τῶν ἔργων, οἷον αἱ μὲν ἀνθοφοροῦσιν, αἱ δ' ὑδροφοροῦσιν, αἱ δὲ λεαίνουσι καὶ κατορθῶσι τὰ κηρία... Καὶ ὅταν ἐσμὸς προκάθηται, ἀποτρέπονται ἔνιαι ἐπὶ τροφὴν, εἶτ' ἐπανέρχονται πάλιν... (3,

(1) G. IV, 104.
(2) G. IV, 158-180.
(3) Lib. IX, cap. XL (XXVII), § 14.

Πολεμοῦσι δὲ σφόδρα αἱ μικραὶ τῷ γένει τῷ μακρῷ, καὶ πειρῶνται ἐκβάλλειν ἐκ τῶν σμηνῶν... Ἐπί τε γὰρ εἰσόδῳ ἑκάστῃ φύλακές εἰσιν (1)... Τῶν δὲ μελιττῶν αἱ μὲν πρεσβύτεραι τὰ εἴσω ἐργάζονται (2)... Προγιγνώσκουσι δὲ καὶ χειμῶνα καὶ ὕδωρ αἱ μέλιτται (3)... Διῄρηνται δὲ τὰ ἔργα ὥσπερ εἴρηται πρότερον, καὶ αἱ μὲν ἐργάζονται μέλι, αἱ δὲ γόνον, αἱ δ' ἐριθάκην, καὶ αἱ μὲν πλάττουσι κηρία, αἱ δ' ὕδωρ φέρουσιν εἰς τοὺς κυττάρους καὶ μιγνύουσι τῷ μέλιτι, αἱ δ' ἐπ' ἔργον ἔρχονται (4).

Omnibus una quies operum, labor omnibus unus:
Mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;
Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosque sopor suus occupat artus .... (5).

Ὄρθριαι δὲ σιωπῶσιν, ἕως ἂν μία ἐγείρῃ βομβήσασα δὶς, ἢ τρίς · τότε δ' ἐπ' ἔργον ἀθρόαι πέτονται, καὶ ἐλθοῦσαι πάλιν θορυβοῦσι τὸ πρῶτον, κατὰ μικρὸν δ' ἧττον, ἕως ἂν μία περιπετομένη βομβήσῃ, ὥσπερ σημαίνουσα καθεύδειν · εἶτ' ἐξαπίνης σιωπῶσιν (6).

Si quando sedem augustam servataque mella
Thesauris relines, prius haustu sparsus aquarum

(1) Lib. IX, cap. XL (XXVII), § 12.
(2) Ibid., § 19.
(3) Ibid., § 25; quod Vergilius v. 166, 191, 192 iterum dixit; idem ab Arato (Διοσημ., 296-298) dictum est.
(4) Ibid., § 23.
(5) G. IV, 184-190.
(6) Lib. IX, cap. XL (XXVII), § 23.

Ora fove fumosque manu prætende sequaces.
Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant et spicula cæca relinquunt
Affixæ venis animasque in vulnere ponunt..... (1).

Δυσχεραίνουσι δ', ὥσπερ εἴρηται, ταῖς δυσώδεσιν ὀσμαῖς καὶ ταῖς τῶν μύρων· διὸ καὶ τοὺς χρωμένους αὐταῖς τύπτουσιν... (2)... ὅταν τὰ κηρία ἐπιχειρῶσιν οἱ μελιττουργοὶ ἐξαιρεῖν· θυμιώμεναι γὰρ καὶ σφόδρα πονοῦσαι ὑπὸ τοῦ καπνοῦ... (3) Αἱ δὲ τύπτουσαι ἀπόλλυνται (4).

Varro quidem eximendorum favorum tria tempora esse refert (5) ; Vergilius autem :

Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis (6),

vere scilicet primoque autumno ; quod Aristoteli probatum est : Τῇ δὲ τοῦ μέλιτος ἐργασίᾳ διττοὶ καιροί εἰσιν, ἔαρ καὶ μετόπωρον (7).

...... Tum corpora luce carentum
Exportant tectis... (8).

Τὰς δ' ἀποθνησκούσας τῶν μελιττῶν ἐκκομίζουσιν ἔξω (9).

Multa quoque ab Aristotele simul et a Varrone

(1) G. IV, 228-230 ; 236-238. De his verbis : *Ora fove*, cf. Forbig.
(2) Lib. IX, cap. XL (XXVII), § 18.
(3) Ibid., § 2.
(4) Ibid., § 17.
(5) *Rer. Rustic.* lib. III, XVI, § 34.
(6) G. IV, 231.
(7) Lib. IX, cap. XL (XXVII), § 21.
(8) G. IV, 255-256.
(9) Lib. IX, cap. XL (XXVII), § 18.

accipere potuit, nisi forte ea jampridem vulgata ab ipsis agricolis apiariisve accepit : rejiciendum esse arietem cujus lingua nigra esset (1) ; apes cum liquidis fontibus delectari (2), tum cœni odore (3), frigore, calore offendi (4) ; duo esse apum genera ; occidendum esse, cum duo essent in eadem alvo reges, eum qui deterior videretur (5) ; denique, apes ita regi inservire ut fessum umeris attollerent (6).

*
* *

Hæc sunt Vergilii præcepta quæ Aristotelis Varronisve præceptis simillima inveni ; neque tamen ex his ullum est quin novi aliquid habeat. Quid si alia rettulissem ? Aristoteles equos equasve, quoad viverent, admissuræ idoneos, parentum vero viginti annis majorum prolem debiliorem esse dixerat ; Varro autem : « Ne sint (equæ) minores trimæ,

(1) G. III, 387, 390. Arist., lib. VI, cap. XIX, § 3. Varr. : lib. II, II, § 4.

(2) G. IV, 18. Arist., lib. VIII, cap. XI (XIII). Varr. : lib. III, XVI, § 12.

(3) G. IV, 49. Arist., lib. IV, cap. VIII, § 16 ; lib. VIII, cap. XI (XIII). Varr. : lib. III, XVI, § 6.

(4) G. IV, 35-36. Arist., lib. IX, cap. XL (XXVII), § 20. Varr. : lib. III, XVI, § 12.

(5) G. IV, 88-102. Arist., lib. V, cap. XXI (XVIII), § 2 ; cap. XXII (XIX), § 1 ; lib. IX, cap. XL (XXVII), § 9. Varr. : lib. III, XVI, § 18. — Apis aurea quam celebravit Vergilius, vocatur hodie ligustica, altera, quæ fulva, mellifica; cf. M. Girard, *les Métamorphoses des Insectes.*

(6) G. IV, 217. Arist., lib. IX, cap. XL (XXVII), § 6. Varr. : lib. III, XVI, § 8.

majores decem annorum. » Nescio an Vergilius modum cautius tenuerit : cum enim alia aliorum valetudo esse soleat nec eadem ætate omnium vires deficiant, ut morbo senectave graves equos a Venere prohibendos dicit, ita quo demum anno prohibendi sint, non dicit (1). Quæ cibaria canibus danda sint, etiamnunc venatores certant et lis sub judice est ; adspecta vero villaticorum canum macie nullas esse de tali re colonorum controversias patet. Suaserat Varro ut carne et ossibus pascerentur, nec tamen, si quis panem hordeaceum in lacte intritum daret, improbabat. At cum Vergilio Nemesianus ita consentit ut ejus versum pæne transcribat : *Molli pasce sero* (2). Sic etiam, seu de ætate qua vaccæ ad pariendum aptæ sint (3), seu de nutriendis vitulis (4), seu de floribus circum alvearia serendis (5), seu de colligendis examinibus (6) Vergilius loquitur, omnibus quæ ab aliena experientia mutuatur, aliquid ex sua addit. Fit prudens

(1) G. III, 95-122. Arist., lib. VI, cap. XXII, § 5, § 1. Varr. : lib. II, VII, § 1.

(2) G. III, 404-413. Varr. : lib. II, IX, § 8-10. Nemesiani *Cynegeticon*, v. 159.

(3) G. III, 60-62. Cf. Arist., lib. VIII, cap. VII, § 9, § 2; lib. VI, cap. XXI, § 2. Varr. : lib. II, I, § 13; V, § 13. Questus est Plinius (lib. VIII, cap. LXX-45) quod spreto Vergilii monitu bimæ aut etiam anniculæ juvencæ fecunditatem poscerentur.

(4) G. III, 174-176. Varr. : lib. II, V, § 17.

(5) G. IV, 30-32. Arist., lib. IX, cap. XL (XXVII), § 26. Varr. : lib. III, XVI, § 13. Quos laudavit flores Vergilius, eos laudat Columella : lib. IX, cap. V.

(6) G. IV, 58-66. Varr. : lib. III, XVI, § 30-31.

quidam delectus ac temperamentum ; nunquam in verba magistrorum temere jurat. Quod contra, est ubi magistros ipsos petat, eorumque verba, et Columella qui fere omnes versus *Georgicon* suo libro inseruit et Plinio plaudentibus, refellat aut emendet. Quod breviter confirmandum est.

.... Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent ;
Tum longo nullus lateri modus ; omnia magna,
Pes etiam ; et camuris hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,
Aut juga detrectans, interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior, quque ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda 1.

Hæc autem Varro : « Amplis cornibus et *nigri potius quam aliter ut sint* (boves); lata fronte, naribus simis, lato pectore, crassis coxendicibus (2)... Ut sint (eæ pecudes) bene compositæ, ut integris membris, oblongæ, amplæ, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis et nigris, pilosis auribus..., cervicibus crassis ac longis, a collo palea demissa, corpore bene costato, latis umeris, bonis clunibus, codam profusam usque ad calces ut habeant..., *pedibus non latis...*, *colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio helvo, quarto albo* (3. » Quibus inter se comparatis, satis constat Vergilium

(1) G. III, 51-59.
(2) Lib. I, xx, § 1.
(3) Lib. II, v, § 7-8.

cum Varrone plerumque consentire, bis tamen, et hoc : « *omnia magna, pes etiam* », et illo : « *Nec mihi displiceat...* » Varronis opinioni suam opponere. At de pede ac colore boum Vergilio assentitur Columella (1) ; nec minus Plinius boves qui nigri sint optimos esse negat (2).

Dixerat quidem Varro : « Interea matres eorum (agnorum) iis temporibus non mulgent quidam, qui ut melius, omnino perpetuo, quod et lanæ plus ferunt et agnos plures (3). » Vergilius contra de vaccis :

> .... Nec tibi fetæ
> More patrum nivea implebunt mulctraria vaccæ,
> Sed tota in dulces consument ubera natos (4) ;

nec solum Columella (5), sed etiam nostri coloni cum poeta consentiunt, qui vaccam, dum natum lactat, nolunt mulgere.

Oves in stabulis hiemare edicit Vergilius (6), cum Varro : « Reliquæ pastiones hiberno a verno tempore hoc mutant, quod pruina iam exalata propellunt in pabulum et pascunt diem totum (7). » Sed Vergilio ipse Buffon suffragatus est (8).

(1) Lib. VI, cap. I.
(2) Lib. VIII, cap. LXX-45.
(3) Lib. II, II, § 17.
(4) G. III, 176-178.
(5) Lib. VII, cap. IV.
(6) G. III, 295-296.
(7) Lib. II, II, § 12.
(8) Cf. *les Géorgiques*, traduites par Delille ; chant III, notes.

Post hinc digressus, jubeo frondentia capris
Arbuta sufficere et fluvios præbere recentes,
Et stabula a ventis hiberno opponere soli
Ad medium conversa diem (1);

quibus versibus Varronem petit. Is enim de ovibus : « Stabula idoneo loco ut sint, ne ventosa, quæ spectent magis ad orientem quam ad meridianum tempus » ; de capellis : « Stabulatur pecus melius ad hibernos exortos si spectat (2). » Columella autem in causam Vergilii descendit (3). Idem de hoc præcepto, quod ad lanitium pertinet : « Fuge pabula læta », dicendum est (4).

Nec alia ratione, cum Arati præcepta recognosceret, eum de avibus ter erravisse Vergilius animadvertit cavitque ne in eundem errorem incideret. Credebat scilicet Aratus noctuas non nocte, sed mane canere :

Ἤ τρύζει ὀρθρινὸν ἐρημαίη ὀλολυγών (5)

et ardeam cornicemque maris avibus annumerabat :

Καὶ δ' ἂν ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρωδιὸς οὐ κατὰ κόσμον
Ἐξ ἁλὸς ἔρχηται φωνῇ περὶ πολλὰ λεληκὼς,
Κινυμένου κε θάλασσαν ὑπερφορέοιτ' ἀνέμοιο (6).

(1) G. III, 300-303.
(2) Lib. II, II, § 7 ; III, § 6.
(3) Lib. VII, cap. III, cap. VI.
(4) G. III, 385. Varr. : lib. II, II, § 19. Colum., lib. VII, cap. II.
(5) Διοσημ., v. 216.
(6) Ibid., v. 181-183.

Ἢ ἐπὶ κῦμα διώκει ἐρωδιὸς ὀξὺ λεληκως (1).

Ἤ που καὶ λακέρυζα παρ' ἠϊόνι προὐχούση
Χείματος ἀρχομένου χέρσῳ ὑπέκυψε κορώνη·
Ἤπου καὶ ποτάμοιο ἐβάψατο μέχρι παρ' ἄκρους
Ὤμους ἐκ κεφαλῆς· ἢ καὶ μάλα πᾶσα κολυμβᾷ (2).

Meministi vero apud Vergilium et noctuam sub noctem aut nocte incassum canere (3), et ardeam in notis paludibus versari (4), et cornicem in sicca arena spatiari (5).

Sæpius, omissa a prioribus præcepta supplet, posterioribusque vel rei rusticæ vel rerum naturalium scriptoribus ipse fit magister.

Sic agricolarum morem hunc a Varrone omissum memorat :

Post partum cura in vitulos traducitur omnis,
Continuoque notas et nomina gentis inurunt (6),

(1) Διοσημ., v. 240.
(2) Ibid., 217-220.
(3) G. I, 402-403. Ad quem locum Morschius : « Aratus ex noctua tranquille canente cessantem tempestatem cognosci docet; poeta Romanus, quamvis avis clamore continuo tempestatem revocare studeat, tamen eam frustra canere exponit, quod impedire non possit, quominus serenitas cæli redeat. » O subtilem callidumque judicem! Jure quidem noctuam hanc « ineptam » vocare potuisset.
(4) G. I, 363-364. Quo irascitur Morschius, tumidoque ore delitigat : « Quod Solensis poeta, ait, de ardeis dicit, Romanus ad mergos traducit. » Felix quidem Romani culpa!
(5) G. I, 389.
(6) G. III, 157-158.

quod jam in primo libro memoravit (1), quod rursus et Columella et Palladius comprobavere (2).

Quibus indiciis equulei boni indoles significetur, partim e Varroniana, partim e sua experientia docet ; nihil enim apud Varronem his verbis simile : « Altius ingreditur... Nec vanos horret strepitus » ; neque Varronem, sed Vergilium de hac re imitatur Columella (3). In ipsa equi generosi descriptione multa e Varrone Vergilius sumpsit ; nihil tamen de arduo capite, de animis, de mobilibus auribus equi, nihil de optimo colore dixerat Varro (4). Quare, Varronis immemor, Vergilianam tantum descriptionem Plinius laudavit (5) ; hanc etiam eos, qui in duodevicesimo sæculo de re equina præceperunt, recordatos ac secutos esse credas (6).

De capellis hoc Vergilius :

> Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis (7) ;

quod nec ab Aristotele nec a Varrone audivit ; hic enim parem esse ovium ac capellarum fecundi-

(1) G. I, 263.

(2) Colum., lib. VII, cap. IX ; lib. XI, cap. II. — Pallad., lib. II, cap. XVI.

(3) G. III, 75-79. Varr. : lib. II, VII, § 6. Colum., lib. VI, cap. XXIX.

(4) G. III, 79-88. Varr. : lib. II, VII, § 5.

(5) Lib. VIII, cap. LXV-42.

(6) Buffon scilicet atque Solleysel ; cf. *les Géorgiques*, traduites par Delille, chant III, notes.

(7) G. III, 308.

tatem (1), ille et oves et capellas interdum bis parere, ovillum vero lac melius esse (2) opinatur. Capellæ nihilominus, in nostris certe regionibus, fecundiores sunt ; de quibus Buffon : « Les chèvres peuvent s'accoupler et produire dans toutes les saisons... La chèvre fournit du lait comme la brebis et même en plus grande abondance... Son lait est plus sain et meilleur que celui de la brebis (3). »

Nullam de hædis capistrandis ne matres diutius exhauriant mentionem facit Varro ; cum autem asinos a matribus capistris prohiberi memoret (4), ferrata illa hædorum capistra quæ describit Vergilius rure abeo observata esse veri simile est (5).

De apibus præcipue multa apud eum inveniuntur quæ Aristoteles Varroque omiserunt. Nam neuter insecta animalia alveario inimica tam clare recensuit (6) ; neuter cancrorum, quos ad sanandas servandasque a gelu arbores in hortis urere mos erat, et taxi odorem apibus nocere (7), et reginas alis brevioribus insigniri (8), et eis, ne examen volaret incertum favosque desereret, alas

(1) Lib. VI, cap. xix, § 1-2.
(2) Lib. II, ii, § 18; iii, § 4; xi, § 1, § 3.
(3) Cf. *les Géorgiques*...., chant III, notes.
(4) Lib. II, vi, § 3.
(5) G. III, 399.
(6) G. IV, 242-250. Cf. Arist., lib. VIII, cap. xxvii (xxvi) ; lib. IX, cap. xl (xxvii), § 10, § 20. Colum., lib. IX, cap. vii, cap. xiv.
(7) G. IV, 47-48. Cf. Colum., lib. IX, cap. v ; Plin., lib. XI, cap. xix-18.
(8) G. IV, 82. « On distingue la reine tout de suite en ce

eripi (1), et languentes apes galbano amelloque, Cisalpinæ scilicet præsertimque Mantuanæ regionis flore, refici (2) dixit.

Nec modo apum, sed etiam pecudum jumentorumque morbos Vergilius cognoscere voluit, et quæ ipse de his observaverat cum priorum præceptis contulit. Collato rursus illius ac Varronis sermone, dic, sodes, uter ægrotantis ovis signa melius cognoverit :

Quam procul aut molli succedere sæpius umbræ
Videris, aut summas carpentem ignavius herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, et seræ solam decedere nocti... 3.

« Signa autem sunt, ut eorum qui sive ex æstu, sive e labore febrem habent, adapertum os, umido spiritu crebro et corpore calido (4). »

Quamvis in Noricæ pestis descriptione sit poetica quædam fraus, nec omnia animalia una similique lue infecta, sed alia alio morbo, canes scilicet rabie, sues tussi, generatim laborantia ac morientia finxerit, haud dubie multa quæ ipse audiverat hic

que ses ailes ne dépassent guère le milieu de son abdomen quand elles sont couchées sur son dos. » (M. Girard, *les Métamorphoses des Insectes*, p. 166.) Colum., lib. IX, cap. x.

(1) G. IV, 106-107. Colum., lib. IX, cap. x; Plin., lib. XI, cap. XVII-17.

(2) G. IV, 264; 271-280; de galbani usu, cf. Colum., lib. IX, cap. XIII et XV; de amello, lib. IX, cap. XIII.

(3) G. III, 464-467.

(4) *Rer. Rustic.*, lib. II, I, 22.

narravit (1). Ipse pecora contagiis citissime correpta et pastores sedentes cælumque orantes, nedum medicas manus adhiberent, viderat (2) ; viderat arietes, ne scabri fierent, in aqua mersatos secundoque amne defluentes (3). Non multa quidem remedia ovibus scabris adhibenda proposuit : num vero doctior videretur, si, ad exemplum Varronis, hæc ad magistrum pecoris pertinere, sibi neglegenda esse existimaret (4) ? Num doctior, si, ad exemplum Catonis, innumera medicamenta e stercore suillo aut e pelle anguina cum sale contrita pararet, ea a pastore jejuno, sublimiter stante, bobus sublimiter stantibus vaso ligneo dari juberet, et panchrestæ brassicæ virtutes caneret (5) ? Quæ remedia laudavit, multo tempore post a peritis adhuc laudabantur (6).

Ne plura : nullum est ejus præceptum quin aut priorum scriptorum auctoritate defensum aut paulo posteriorum suffragiis sancitum sit.

*
* *

Hodie vero, cum multum in nostra ætate rerum

(1) Cf. Forbig. ad hunc locum.

(2) G. III, 454-456.

(3) G. III, 446-447.

(4) *Rer. Rustic.*, lib. II, I, § 23; II, § 20; III, § 8; V, § 18 VII, § 16.

(5) *M. Porci Catonis de Agri Cultura liber*, ex recensione Henrici Keilii, CII, LXXIII, LXXI, CLVII.

(6) G. III, 448-454. Colum., lib. VII, cap. IV et V ; Plin., lib. XXXIII, cap. XXXV-6.

naturalium scientia profecerit, Vergilium aliquando erravisse non nescimus, nec indignamur. Ceterum loci in quibus erravit perpauci sunt.

Errare eum non dico, si quid poetice mentitur quod ipse alias, graviore sermone usus, redarguit. In *Bucolicis*, ubi Syracosio versu ludit, et olores canoros esse (1), et anguem cantando rumpi (2), et agnos nescio quo oculo fascinari (3), et sinistræ cornicis clamore hominum casus significari (4) dictitat. Quid postea ? Idem alias et quæ sit vox cycnorum, et quo pacto anguem rumpi liceat, et qua causa langueant agni, et quid cornicis cantus significare possit, docet :

Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni (5).
..... Cape saxa manu, cape robora, pastor,
Tollentemque minas et sibila colla tumentem
Dejice (6).
Turpis oves tentat scabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum persedit (7).
Tum cornix plena pluviam vocat improba voce (8).

Sic etiam, cum veteres carunculam in fronte nascentis equi exstare et a matre statim vorari crederent idque hippomanes nominarent, communem

(1) Buc. VIII, 55 ; IX, 29, 36.
(2) Buc. VIII, 71.
(3) Buc. III, 103.
(4) Buc. IX, 15.
(5) Aen. XI, 458. Cf. Michelet, *l'Oiseau*, p. 61-62.
(6) G. III, 420-422.
(7) G. III, 441-442.
(8) G. I, 388.

opinionem in epico carmine secutus est (1) ; cum autem vera quædam res eodem nomine designaretur, in *Georgicis* caverat ne ficta veris misceret :

> Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
> Pastores, lentum destillat ab inguine virus (2).

Sunt tamen quæ ignoraverit. Errat ubi buffonem segeti nocere (3), equas sine ullis conjugiis interdum gravidas fieri (4), mel cælo defluere (5), apes non reginæ sed regi parere (6), eas se lapillo, ne procella abripiantur, saburrare (7), et e floribus aut e putrefacto bovis corpore oriri (8), et septem annos vivere (9) refert. Quæ jam et a Varrone et ab ipso Aristotele relata Columella Pliniusque postea rettulerunt ; immo, septemdecim fere sæculis post Vergilium mortuum apes e regina nasci unumque annum vivere adhuc ignorabatur (10).Nec

(1) Aen. IV, 515-516.

(2) G. III, 280-281. Multo confusius obscuriusque de hac re Aristoteles, qui vera fictis omnino miscuit : lib. VI, cap. XVIII (XVII), § 5; lib. VIII, cap. XXIV (XXIII), § 5. Cf. Buffon, XIV; cujus verbis comprobatur *Georgicon* sententia.

(3) G. I, 184.

(4) G. III, 274-275. Arist., lib. VI, cap. XVIII (XVII), § 4; Varr. : lib. II, I, § 19; Plin., lib. VIII, cap. LXVII-42.

(5) G. IV, 1. Arist., lib. V, cap. XXII (XIX), § 4.

(6) G. IV. Arist., lib. V, cap. XXII (XIX); lib. IX, cap. XL (XXVII); Varr. : lib. III, 16 : *passim*.

(7) G. IV, 194-195. Arist , lib. IX, cap. XL (XXVII), § 21.

(8) G. IV, 200-201 ; 281-314 ; Arist., lib. V, cap. XXI (XVIII), § 1. Varr. : lib. II, V, § 5 ; lib. III, XVI, § 4.

(9) G. IV, 207. Arist., lib. V, cap. XXII (XIX), § 8.

(10) Primus enim Swammerdam (1637-1680) unde nasce-

Vergilius, sed septimi decimi nostrique sæculi scriptores sepulta corpora vermibus corrodi, et serpentis caudam acumine instructam esse (1) et similia alia dixerunt.

O peculiarem miramque poesis dotem ! Eadem quæ a Varrone aut ab Aristotele relata nobis pæne risum movent, a Vergilio celebrata nos oblectant. Namque hi se doctos haberi semper, nec nunquam jure, cupiunt ; dictis fidem facere et id ipsum quod falsum est argumentis comprobare (2) conantur. Vergilius contra, si qua de re certior fieri nequit, pro seria ridiculaque simul argumentatione pulchram fabulam affert. Habemus confitentem reum ; longe abest quin narrata omni asseveratione affirmet : curtæ imperfectæque scientiæ conscius est (3), oratque tantum ut de rerum causis nondum patefactis poetam somniare fas sit. Qui videlicet si mel cælo defluere putaret, hos potius quam illos flores circum alvearia serere (4) non ediceret : at, cum haud certo sciat quid sit mel, aerii mellis dona cælestia canit (5). Idem Corycii senis hortum apibus fetis abundare (6), et, quamdiu vivat examen, novæ stirpis genus inde revocari posse (7)

rentur insecta animalia, docuit; cf. Michelet, *l'Insecte*, p. 91-107.

(1) Cf. Fontanii fab., VII, 17.

(2) Cf. Arist. de aerio melle : lib. V, cap. XXII (XIX), § 4.

(3) G. II, 474-491.

(4) G. IV, 30-32.

(5) G. IV, 1.

(6) G. IV, 139-140.

(7) G. IV, 282.

dicit ; at, cum unde apes gignantur haud certo sciat, si quid venusti de earum origine fictum olim est, rursus fingit :

..... E foliis natos et suavibus herbis
Ore legunt (1).
Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere (2) ;

quæ quidem inventa non in Italia, sed in Aegypto Indiaque apiariis saluti fuisse refert (3), unumque Aristæum, ipsius Apollinis filium, qui apes morbo ac fame amissas sic suppleverit, nominat (4).

Id præsertim quod docti viri de feminis equis vento concipientibus dixere cum ejus versibus conferri velim. Rem ab Aristotele narratam et Varro et Columella et Plinius (5) narravere ; nam fugiebat eos fabulam hanc a quadam verborum figura in omnium gentium sermone usurpata, qua celerrimi equi aeris filii vocarentur, deductam esse (6). Immo, pullos eo pacto conceptos « non plus triennium vivere » contendebant (7). Quod non Vergilius. Non, a Veneris ira Glaucique nece narrationem

(1) G. IV, 200-201.
(2) G. IV, 283-284.
(3) G. IV, 287-294.
(4) G. IV, 315-557.
(5) Arist., lib. VI, cap. XVIII (XVII), § 4. Varr. : lib. II, I, 19 ; Colum. : lib. VI, cap. XVII ; Plin. VIII, cap. LXVII-42.
(6) Cf. Hom., Il., XX, 222 sqq. Sic equi a Græcis ἀελλάδες, ἀελλόποδες, a Romanis *alipedes* dicti sunt; sic in Germanorum fabulis procella in equum equitemque mutatur (cf. *Kulturpflanzen und Hausthiere*, von Victor Hehn, p. 37).
(7) Cf. Varr. et Plin., *loc. cit.*

orsus (1), præcipientis personam hic suscipit : Musa auspice et auctore fabulatur. Nec in noto certoque quodam loco, non in Lusitania circa Olisiponem oppidum montemque Tagrum (2), sed in Idæis illis regionibus ubi vatum mens toties evagata est prodigiosas equas constituit. Adspice ut amore raptæ montes superent, tranent flumina : en subito in altis rupibus stetere, in Zephyrum versæ ; jamque gravidæ, iterum perdite fugiunt, jam in longinquas pallidasque terras, unde Auster nascitur, abeunt, jam, ceu fumus in tenues auras commixtus, vanescunt (3). Utrum eis qui historice ac docte hæc exposuerunt, an Vergilio qui fabulosa fabulose canit, plaudis ?

Haud hercle mirum est Aristotelem aut Varronem sæpius eo erravisse : quippe qui multo plura recognoscerent. Hoc saltem profitendum est, nihil in ejus versibus inveniri quo nimiæ puerilisque credulitatis crimen, sæpe illis nec injuria illatum, in eum redundet. Nempe ab Aristotele ovibus caprisve aquilone spirante coeuntibus mares, austro feminas concipi, et, quæ gignere feminas soleant, ab eis mares, si coeuntium capita in aquilonem pastor verterit, gigni, et ardeam coïtu adeo dolere ut clangat sanguinemque ex oculis emittat, et trochilum in os crocodilorum oscitantium involare

(1) G. III, 267-268.
(2) Cf. Varr. et Plin., *loc. cit.*
(3) G. III, 269-279.

eorumque dentes officiose purgare (1); tum a Varrone capras non naribus, sed auribus spiritum ducere, et taurum, cum ineat, descensu vel in sinisteriorem vel in dexteriorem partem significare utrum femina an mas conceptus sit (2), multaque similia si libebit disces. Catonis tamen ignorantiam, nec illepide, Varro riserat (3). Quid si Catonis, quid si Plinii scripta excitarem ? Quod contra, si verba hæc Vergilii de avium cantu futuram tempestatem significante memoriæ succurrent, aliquem duodevicesimi aut nostri sæculi philosophum audire tibi videberis :

Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major ;
Verum, ubi tempestas et cæli mobilis humor
Mutavere vias, et Juppiter uvidus Austris
Denset erant quæ rara modo, et quæ densa relaxat,
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt (4).

Quare Vergilii de animalibus scientia quondam magni æstimabatur, nec nunc ita parvi æstimanda est : namque, aliorum scriptis non omnino confisus, agricolarum vero suaque experientia nisus, pauca quidem, plerumque autem recta, nec unquam superstitiosa præcepit.

(1) Lib. VI, cap. XIX, § 2 ; lib. IX, cap. I (II), § 8 ; cap VI (VII), § 3.
(2) Lib. II, III, § 5 ; lib. II, V, § 13 ; quod acceperat ab Aristotele (Περὶ Ζῴων γενέσεως, lib. IV, cap. I).
(3) Lib. I, II, § 28.
(4) G. I, 415-422.

CAPUT III

QUA SCRIBENDI ARTE ANIMALIUM FORMAM HABITUMQUE AD VIVUM EXPRESSERIT

Altera autem insigniorque laus ei debetur. Quod enim neque veteres neque novi rerum naturalium scriptores potuerunt, potuit, cum animalia amicis memoribusque quasi pictoris oculis ipse observavisset. Non apud eum, sicut apud nostratem Buffon, decora simul et frigida eorum imago stat : non pro eis plumæ aut setæ aut squamæ marmori cuidam inductæ splendent : ipsa, ipsa, inquam, in medio agro aut litore et pæne in medio volatu aut ingressu, ut erant, deprehensa, rusticoque rore aut maris spuma adhuc adspersa, hic vivere ac spirare credas.

Dixi equidem poeticas fabulas de animalibus ab eo non omnino neglectas esse. Araneam Minervæ invisam (1) et ab apibus canoros sonitus crepitantiaque æra Curetum secutis Jovem olim pastum (2) cecinit. Cerberum (3), Tityi vulturem (4), Furia-

(1) G. IV, 246-247.

(2) G. IV, 150-152; quod cecinerat jam Callimachus ; in Jov., 52.

(3) G. IV, 482. Aen. VI, 417-423.

(4) Aen. VI, 598.

rum colubras (1), Scyllæ canes (2), solis equos (3), Harpyias (4), Nemeum leonem (5), æripedem cervam (6), tigres a Baccho sub pampineum jugum missas (7), inferna monstra (8) quæ mendax Græcia celebraverat rursus celebravit. Quibus autem ita suæ artis notam imprimebat, ut fabulosa illa animalia in vera sæpius mutaret. Num enim Laocoontis serpentes, quorum ingentes spiras et sibila colla pæne adhuc legentes horremus (9), et Romuli lupam « tereti cervice reflexam » (10), et Procnen hirundininum pectus manibus cruentis signatam (11) laudare necesse est? Eo Nisi et Scyllæ fabulam commemorante, ipsius fabulæ oblitus æternum accipitris et ciris bellum vides :

Apparet liquido sublimis in aere Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo ;
Quacumque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras
Insequitur Nisus ; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis (12).

Nec alia ratione Philomela anxia trepidansque avis fit, ubi poeta narrat

(1) Aen. VI, 281 ; VII, 346.
(2) Buc. VI, 75. Aen. III, 346.
(3) Aen. XII, 114-115.
(4) Aen. III, 216.
(5) Aen. VIII, 295.
(6) Aen. VI, 802.
(7) Aen. VI, 805.
(8) Aen. VI, 285-289.
(9) Aen. II, 203.
(10) Aen. VIII, 633.
(11) G. IV, 15.
(12) G. I, 404-409.

Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis (1).

Quid autem de Saturno in equum converso, cujus repentinum impetum et quadrupedantem sonitum repercussumque montis faucibus hinnitum tam sonoris alacribusque versibus reddidit?

Talis et ipse jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto (2).

Qui sic fabulis usus est, omnia animalia quæ rerum natura gignit et Gorgonibus et Chimæra et draconibus et alatis equis pulchriora esse intellexerat. Quo attentius ea hic aut illic contemplatus, ut eorum formam habitumque ad vivum exprimeret, maxima styli, ne dicam penicilli, industria effecit.

Ac primum, quanto veri studio vocabula eligere et versus struere soleat, dicendum.

Rara quidem insigniaque epitheta non venatur: agnum tenerum (3), oves lanigeras (4), juvencos niveos (5), leænam torvam (6), anguem atrum (7) aut frigidum (8), aprum sætosum (9), equos corni-

(1) Buc. VI, 80-81.
(2) G. III, 92-94. Hanc fabulam ab Apollonio accepit; res vero a Græco poeta frigide narrata erat; cf. H. de la Ville de Mirmont, *Apollonios de Rhodes et Virgile*, p. 51.
(3) Buc. I, 8, 21; III, 103.
(4) Aen. III, 660.
(5) G. I, 15.
(6) Buc. II, 63.
(7) G. I, 129.
(8) Buc. III, 93.
(9) Buc. VII, 29.

pedes (1), tigres rabidas (2), lupam fulvam (3), lyncem maculosam (4), tauros fortes (5), leones magnos (6) vocare minime eum pudet. Nec multo exquisitius capellas lascivas (7) aut lacte distentas (8), hædos petulcos (9), volucres aut lacertos pictos (10), cicadas raucas (11) vocat. Nequiquam græci sermonis ampla et mirabilia illa epitheta, quibus legentium mens tam jucunde sollicitatur, hic desideres; nequiquam clamites : ubi illa Homeri εἰλίποδας ἕλικας βοῦς, et βοές εὐρυμέτωποι, et ὄρνιθες τανυσίπτεροι, et κύκνων δουλιχοδείρων, et λῖς ἠϋγένειος, et λέων ὀρεσίτροφος, et τανύγλωσσοι κορῶναι, et ἀγριόδοντας ὕας, et σύες χαμαιεύναδες, et ὑψίκερων ἔλαφον? (12) Ubi Arati illud : εἰναλίδιναι αἴθυῖαι (13) ?

Cave ne nimium clamites : quibusdam Vergilii epithetis, scilicet apricos mergos (14), auritos lepores (15), cervos capita alta ferentes cornibus arbo-

(1) Aen. VI, 591.
(2) G. II, 150.
(3) Aen. I, 275.
(4) Aen. I, 323.
(5) G. I, 65.
(6) Buc. IV, 22.
(7) Buc. II, 64.
(8) Buc. VII, 3.
(9) G. IV, 10.
(10) G. III, 243; G. IV, 13; Aen. IV, 525.
(11) Buc. II, 12.
(12) Od. I, 92; XII, 395; V, 65; Il. XV, 692 ; XVIII, 318 ; Od. VI, 130 ; V, 66 ; VIII, 60 ; IX, 243 ; IX, 158.
(13) Διοσημ., v. 186. Scribunt quidam : εἰν ἁλὶ δινaῖ, quod minus placet.
(14) Aen. V, 128.
(15) G. I, 308 ; quod jam ab Afranio dictum erat.

reis (1), surgentem in cornua cervum (2), sua gratia est. Quid si pleraque simplicissima sunt? Loco commendantur ; inde insignia et rara fiunt. Quæcumque enim est ad describendum latinæ linguæ egestas, ea est divini poetæ ars quæ paucis communibusque vocabulis multa et inaudita significet. Quod aliquot exemplis illustrare detur.

Sunt qui avem aeriam, lacertos virides, hirundinem garrulam, palumbes raucas, talpas oculis captos, leonem fulvum vix dignum putent quod dicatur. At ille :

Parta meæ Veneri sunt munera : namque notavi
Ipse locum aeriæ quo congessere palumbes (3).

Nempe eo gratius munus quo majore opera partum est, nec Damœtas quam audacter ad nidum summæ arboris aut excelsæ rupis secreto creditum ascenderit, suam Venerem ignorare vult. Alias :

..... Nunquam imprudentibus imber
Obfuit ; aut illum surgentem vallibus imis
Aeriæ fugere grues (4).

Qui versus vix intellegerentur, nisi illud *aeriæ* scriptum esset, nedum inutile et homericis *κοίλης νηυσί* simile sit. Impendente pluvia, quæ nuper in aere volabant, grues tutam vallem petunt ibique

(1) Aen. I, 189-190.
(2) Aen. X, 725.
(3) Buc. III, 68-69.
(4) G. I, 375-377.

latent ; quas diversas res brevius Vergilio quis docere possit ?

Theocriti versus :

> Ἁνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐν αἱμασιαῖσι καθεύδει (1),

a Vergilio hunc in modum translatus est :

> Nunc virides etiam occultant spineta lacertos (2).

Parvum est quod addidit, nec, mea sententia, contemnendum. Rura, medio æstu, tam sopita desertaque videri monet, ut lacertus ipse, quamvis colore viridi sit conspicuus, spinetorum umbra occultetur. Splendidius sane hoc dici posse cujusdam recentis poetæ versu demonstratum est :

> ... Les grands lézards, chauds des feux de midi,
> Dont la fuite étincelle à travers l'herbe rousse (3).

Nescio vero an gemmeus ille nostrarum Musarum fulgor legentis aciem mox fatiget ac perstringat. Quanquam serpentes aut tigres aut leopardos, quos *Poematum Barbarorum* scriptor depinxit, interdum visere et admirari juvat, eos tamen semper festivo vestitu nitidos monstrari, eos nimia arte peccare queror, et ad modestam ingenuamque Vergilii Musam recurro.

Sacrificia quædam suadet ut patrentur :

(1) VII, 22.
(2) Buc. II, 9.
(3) *Poèmes Barbares : le Rêve du Jaguar.*

.... Zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo (1).

Haud temere hic hirundinem garrulam vocatam esse testabitur quisquis vere novo hirundines construendis nidis intentas spectaverit. Nam, etsi aliis quoque temporibus garriunt, tunc maxime, quum materno officio excitantur et circum tecta nostra volitant, loquaces fieri solent : laborantium alis vocibusque strepit omnis villa.

Talpasne etiam in pratis obvios adspexisti ? O quantum levibus palmis et naso properant ! Naso nempe, quasi sint cæci, in terram ruunt. Quorum trepidum ac cæcum laborem perlecto Vergilii versu videre tibi videris :

Aut oculis capti fodere cubilia talpæ (2).

Quid plura ? Hos versus referre satis sit :

Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo (3)...
Urgeri volucrum raucarum ad litora nubem (4)...
.... aut fulvum descendere monte leonem (5).

Verum enim vero quod de epithetis, idem de ceteris vocabulis ab eo usurpatis laudare decet. Non quod unius verbi virtute res pingere nequeat : apud

(1) G. IV, 305-307.
(2) G. I, 183.
(3) Buc. I, 57-58.
(4) Aen. VII, 705.
(5) Aen. IV, 159.

illum de rupe dumosa capellas *pendere* (1), et per æstatem liquidam agmen apum *nare* (2) memini, primoque autumno, durum laborem aratoris atque boum speculatus, pulchrum hunc versum recordor :

Flectere *luctantes* inter vineta juvencos (3).

Immo, de equis ita cursu raptis ut quattuor pedes nunc extendere nunc subter se connectere videantur, vix loqui potes, nisi Vergiliano dicto : *gressus glomerare* (4), uteris. De formicis contra : « It nigrum campis agmen (5) », ait, et quod ab Ennio de elephantis scriptum aut nihil aut parum sapiebat, hic ubi brevissimum illud *it* cum brevissimis formicarum pedibus tam bene concinit, lepidum est. Sæpius tamen omnium e quibus constant verborum convenientia quam unius colore versus Vergilii placent. Sic in ipso hoc quem protuli versu quam apte *raucæ* palumbes *gemere* dictæ sint, patet ; sic nos, ut quicquid ipse rusticando vel oculis vel auribus perceperit, videamus audiamusque, adducit.

Quod ad efficiendum, non solum omnia voca-

(1) Buc. I, 76.
(2) G. IV, 59.
(3) G. II, 356. Idem ab Hesiodo descriptum erat (Ἔργ. καὶ Ἡμ. 439-440) :

Οὐκ ἂν τῶγ' ἐρίσαντ' ἐν αὔλακι κὰμ μὲν ἄροτρον
Ἄξειαν.

(4) G. III, 117.
(5) Aen. IV, 404.

bula, sed omnes etiam vocabulorum litteræ interdum conspirant. Istos quidem derideas licet, qui in cantum alaudæ aut merulæ vano quodam sermonis tinnitu imitandum omnem operam consumunt, aucupio quam Musis aptiores. Is non deridendus qui scribendo pictor simul et musicus fit, qui ipsius noctis silentia nescio qua verborum dulcedine reddere valet :

Sidera cuncta notat tacito labentia cælo... (1).
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, etc. (2),

qui omnibus tuis sensibus una lenocinatur, cujus denique in carminibus ipsa ruris murmura tibi obstrepunt. Revocentur ergo in memoriam versus quos totiens magistri, latinis Camenis apud nos adhuc florentibus, discipulorum æmulationi proposuerunt!

Hinc tibi, quæ semper, vicino ab limite sæpes
Hyblæis apibus florem depasta salicti
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro (3).

Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis (4).

Sibila lambebant linguis vibrantibus ora (5).

Obscenæque canes importunæque volucres (6).

(1) Aen. III, 515.
(2) Aen. IV, 522-527.
(3) Buc. I, 53-55.
(4) G. III, 439.
(5) Aen. II, 211.
(6) G. I, 470.

Hinc exaudiri gemitus iræque leonum
Vincla recusantum et sera sub nocte rudentum,
Sætigerique sues atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum (1).

Per noctem resonare lupis ululantibus urbes (2).

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam (3).

Nec secus de dactylorum et spondeorum delectu sit laus, dum brevis sit. Ut enim Vergilii versus, habili litterarum consonantia, vicissim susurrare aut sibilare, ululare aut coaxare, queri aut irasci videntur, ita brevium longarumque syllabarum usu aut volare aut reptare eos dicas :

Tollunt se celeres, liquidumque per aera lapsæ (4). ..
Et sola in sicca secum spatiatur arena (5).

Magis tamen mirandum, qua arte versuum modulationem variare et versus concidere percalluerit. Nunc, ad depingendam pavefactæ avis trepidationem vel quadrigarum in circi pulvere fugam, imperfecta cæsura versus quasi anhelat suique impotens rapitur :

Infelix sua tecta supervolitaverit alis (6).

(1) Aen. VII, 15-18.
(2) G. I, 486.
(3) G. I, 378. Num Vergilium ibi Arati imitatorem esse dices, quod Aratus hæc scripserit (Διοσημ., 215) :

Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.

(4) Aen. VI, 202.
(5) G. I, 389. Jam Arati versus de ardea rettuli; quibus collatis iterum comprobatur quanto praestet ars Vergilii.
(6) Buc. VI, 81.

Ut, cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas (1).

Nonne vides, cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus (2)...

Nunc, quinto aut etiam sexto pedi inserta cæsura, sollerter claudicans versus vel immanis anguis tractui :

Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto (3).

vel gravi casui bovis :

.... procumbit humi bos (4),

vel, ut in Horatii epistula ad Pisones (5), muris e terra improviso exsilientis parvitati congruit :

.... Sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos atque horrea fecit (6).

Quin! avem, dum volabat, morte interceptam delabentemque :

Ipsis est aer avibus non æquus, et illæ
Præcipites alta vitam sub nube relinquunt (7),

et formicam labore magno exigua convectantem festinantemque :

(1) G. I, 512-514.
(2) G. III, 103-104.
(3) G. II, 152.
(4) Aen. V, 481.
(5) V. 139.
(6) G. I, 181-182.
(7) G. III, 546-547.

Sæpius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter (1);

et equum telo saucium :

Quo sonipes ictu furit arduus (2),

versum hic aut illic distinguendo, Vergilius depingit. In hoc : « Curculio ingentem populatur farris acervum », nihil poetici esse confessus, adspice quid idem apud illum fiat :

..... populatque ingentem farris acervum
Curculio (3).

Adspice ut, ardeam repente evolantem ac mox per aera latis alis libratam expressurus, post dactylum incidat versum, primoque pedi reliquorum tranquillum tenorem opponat :

.... notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem (4).

Redeunte autem sub noctem distentarum lacte capellarum agmine, e priore versu in posteriorem spondeus redundat :

.... suosque
Ducunt, et gravido superant vix ubere limen (5).

Ne plura; quot distinguendi aut modulandi

(1) G. I, 379-380.
(2) Aen. XI, 637.
(3) G. I, 185-186.
(4) G. I, 363-364.
(5) G. III, 316-317.

versus modis usus sit, enumerare nec valeam nec velim, cum tali enumeratione pulcherrima carmina in frigidum fastidiosumque indicem verti non nunquam sim questus.

Ne vero tanti ingenii tantique pectoris poetæ curiosissimam sollertiam styli fuisse miremur : qui maximi sunt poetæ, eosdem optimos scriptores fieri necesse est. Hac demum omnium e quibus versus constat elementorum conspiratione rerum animantiumque varietatem æquare, et modo ferarum vim ac majestatem, modo bestiolarum gracilitatem venustatemque assequi, vero quidem nomine magus olim dictus, potuit. Inde hæc de superbo equo:

> Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit (1) ;

hæc de tauris certantibus :

> Versaque in obnixos urgentur cornua vasto
> Cum gemitu (2),

quæque de victo sequuntur :

> Et stabula adspectans regnis excessit avitis (3).

Inde hæc de vetulo apro, quæ cum versibus Homeri Hesiodique collata nec frigent nec pallescunt :

> Ac velut ille canum morsu de montibus altis
> Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
> Defendit, multosque palus Laurentia silva

(1) Aen. IV, 135.
(2) G. III, 322-323.
(3) G. III, 328.

Pavit arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox et inhorruit armos,
Nec cuiquam irasci propiusque accedere virtus,
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant;
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas (1).

Inde contra suavissimæ de apibus aut cicadis loquelæ :

Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ (2).

Sed quibus ego verbis quartum illum *Georgicon* librum extollam in quo, cum laborem in tenui esse præscripsisset, omnia tam levi delicatoque stylo elaboravit, ipsarumque apum artem sua superavit? An me ad Græcorum fabulas vertam credamque mellis opifices labris ejus a quo celebrarentur insedisse? Absit enim disserendi consilium de versibus his :

Illæ continuo saltus silvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, et flumina libant
Summa leves (3),

aliisque quibus nihil usquam comparandum inveniatur, nisi forsan illud succurrat :

Le long d'un clair ruisseau buvait une colombe (4).

(1) Aen. X, 707-715. Cf. Hom., Il. XI, 414-418 ; XIII, 471-475; Od. XIX, 439-455 ; Hesiod., Ἀσπὶς Ἡρακλέους, 386 sqq.

(2) Buc. V, 77.

(3) G. IV, 53-55.

(4) Nisi etiam succurrant quae Graeci de cicadis dixere (Hom., Il. III ; Plat., Φαιδρός ; Hesiod., Ἀσπ. Ἡρακλ., 399 sqq.) Cf. Henri Ouvré, *Méléagre de Gadara*, p. 135-136.

Sic diversorum generum moribus diversisque singulorum animalium sensibus respondet felicissima illa sermonis numerorumque diversitas ; quod non tantum pluribus locis inter se comparatis, sed etiam uno, quo pascentem vaccam duosque dimicantes tauros inducit, inspecto comprobari potest :

Pascitur in magna Sila formosa juvenca.
Illi alternantes multa vi prœlia miscent
Vulneribus crebris (1).

Quæ cum ita sint, nonne tam absolutam et dicendi et versificandi scientiam illis solum qui res ipsas penitus observaverunt totoque animo hauserunt concedi liquet ? Expendantur dictionis figuræ imaginesque quibus quosdam de apibus versus ornavit. Quarum si unam de emisso examine :

.... jamque arbore summa
Confluere et lentis uvam demittere ramis (2),

ab Homero forsan mutuatus sit (3), plerasque, cum alvearia viseret et apis Matinæ modo vagaretur, ipse finxit. Sive duo apum genera esse docet :

... aliæ turpes horrent, ceu pulvere ab alto
Cum venit et sicco terram spuit ore viator
Aridus (4),

sive earum prœlia magnamque stragem canit :

(1) G. III, 219-221.
(2) G. IV, 556-557.
(3) Il. II, 89.
— βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.
(4) G. IV, 96-98.

.... Nec densior aere grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis (1),

omnem æmulandi spem umbraticis scriptoribus demit. Haud didicerunt umbratici ægrotantium apum bombos graviores et motorum austro foliorum vel refluentium per lapillos litoris undarum vel æstuantis in clauso fornace ignis murmuri similes esse (2). Corvos evolantes ter aut quater crocire non didicerunt (3). At Vergilius hæc et multa alia didicit. Tauros sparsa arena ad pugnam proludentes (4) juvencasque circum mussantes (5) novit ; noctuæ longos clamores in fletum ducenti (6), et accipitri columbam eviscerant adfuit :

Tum cruor et vulsæ labuntur ab æthere plumæ (7) ;

et cantantium avium colla in numerum molliterque turgentia animadvertit, unde illud :

Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni
Cum sese e pastu referunt, et longa canoros
Dant per colla modos (8).

(1) G. IV, 80-81.

(2) G. IV, 260-263. Sunt qui dicant hos versus ex *Iliadis* loco expressos esse, in quo Argivorum clamorem cum procellæ, silvæ igne correptæ et venti in arbores sævientis fragore Homerus contulerit! (Il. XIV, 394-399.)

(3) G. I, 410-411.

(4) G. III, 234 ; Aen. XII, 106. Hæc Plinius (lib. VIII, cap. LXX-45) de tauro : « Tota comminatio prioribus in pedibus. Stat ira gliscente alternos replicans, spargensque in alvum arenam. »

(5) Aen. XII, 716.

(6) Aen. IV, 462-463.

(7) Aen. XI, 724.

(8) Aen. VII, 699-701.

Is est qui tenues notas apum corpusculo in ordine inscriptas numeraverit :

Ardentes auro et paribus lita corpora guttis (1),

is, qui mutabiles fluitantesque in pelle anguinea colores nescio quo verborum splendore ac confusione reddat :

Cæruleæ cui terga notæ maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille jacit varios adverso sole colores (2).

Quare Vergilium, cum sic animalium et voces et colores et figuram tam propria vividaque oratione expresserit, etiam quæ ab aliis poetis mutuaretur per se ipsum sensisse et inventoris quam imitatoris nomine digniorem esse neminem jam, præter Germanos doctores, latet. Unus est locus quem ex Homeri versibus pæne ad verbum transtulit :

Qualis, ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos (3).

(1) G. IV, 99.
(2) Aen. V, 87-89.
(3) Aen. XI, 492-497 ; Il. VI, 506-511 :

Ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
Δεσμὸν ἀποῤῥήξας θείει πεδιόιο κροαίνων,
Εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο,
Κυδιόων · ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Ὤμοις ἀΐσσονται · ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς,
Ρίμφα ἑ γοῦνα φέρει μέτα τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππίων.

Ultimo tamen versu perlecto, in quo numerosus equi cursus quasi percipitur, Vergilii artem et in hac imitatione agnoscimus. Nempe, quid stilo ejus vere peculiare sit, nondum dixi. Sincera pigmenta lineamentaque descriptioni adhibere ei non satis est, actum nihil esse rato nisi descripta animalia in carminibus, sicut in ipsâ rerum naturâ, agant ac moveantur. Pæne omnes versus qui ad exemplum distinctionis aut modulationis nuper transcripti sunt, vera alicujus motus imitatione valent. Paucos his addere liceat, quibus id confirmetur.

De apibus prœlium ineuntibus :

> Tum trepidæ inter se coeunt, pennisque coruscant,
> Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos (1) ;

quippe eriguntur et bracchiis hostem aggrediuntur.

De lupo qui pravi cujusdam facti conscius fugit :

> .... caudamque remulcens
> Subjecit pavitantem utero (2).

De formicis :

> .... grandia trudunt
> Obnixæ frumenta umeris (3).

De equo vulnerato :

(1) G. IV, 73-74.
(2) Aen. XI, 812-813.
(3) Aen. IV, 405-406.

Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo (1).

Serpentium adspectu, quem plerique insito forsitan christianis horrore aversamur, et Nicandrum et Vergilium sicut lenti coruscantisque torquis tractatu singulariter recreatos esse manifestum est. Nec minus eorum molli flexu quam fulgore Vergilii oculi recreabantur :

Improvisam aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras et cærula colla tumentem (2).

Qualis ubi in lucem coluber, mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa
Lubrica convolvit sublato pectore terga (3).

.... Jamque fuga timidum caput abdidit alte,
Cum medii nexus extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes (4).

Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens,
Aerea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator,
Nequiquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens ; pars vulnere clauda retentat
Nixantem nodis seque in sua membra plicantem (5).

Quæ si cum Homeri, Nicandri, Lucretii versibus

(1) Aen. X, 891-893.
(2) Aen. II, 379-381.
(3) Aen. II, 471-475.
(4) G. III, 422-424.
(5) Aen. V, 273-279.

conferentur (1), fere omnia verba quibus serpentis aut vigentis aut morientis motus hic expressi sunt, unius Vergilii esse constabit.

Acrius etiam in concinnam avium mobilitatem visum ille intendit ; neque ulli versus jucundiores his sunt, in quibus vel fugientes, vel insidentes, vel pascentes vel ludentes aves adspicimus. Hinc qua levitate suspensis alis protentisque pedibus solo allabantur :

> .... venere volantes
> Et viridi sedere solo (2),

illinc, qua festinatione evolent, agnosces :

> .... plausumque exterrita pennis
> Dat tecto ingentem ; mox, aere lapsa quieto,
> Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas (3);

quod critici ab Apollonio sumptum esse conclamant. O criticos ! cæcum pecus !... Apollonius quidem volucri apertis immotisque alis per æthera labenti navem sedato mari decurrentem assimulavit : num vero plaudentes alas evolantis aut vidit aut descripsit (4) ?

(1) Cf. Homer. Il. III, 33-34; XXII, 92-95. Nicand. Θηριακά, 137-138 ; 179-180; Lucret. *De Rerum Natura*, III, 657-663. Hoc Jacobus van Wageningen confessus est : « Descriptio motuum et coloris serpentis ex ipsius Maronis ingenio profluxit, sed reliqua (scilicet præcepta de galbani usu ad arcendos serpentes) mutuatus est a Nicandro. » — Bene habet ; nihil amplius contendo.

(2) Aen. VI, 191-192.

(3) Aen. V, 215-217.

(4) Cf. Apoll. II, 932 ; liceat ejus versus in nostrum ser-

Sæpe equidem, si quod ipse percepi his admiscendi venia conceditur, cum hibernis mensibus juxta Oceani litora, in paludosa quadam regione, migrantes anates nocturnus aucuparer, et lucente luna modo cælum modo circumjacentes undas e latebris caute adspectarem, Vergiliana dicta animo revolvi. Anatibus, quæ captivæ pedibusque vinctæ ad alliciendas advenas prope nabant, in aqua colludentibus :

> ...., ... quæ Asia circum
> Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
> Certatim largos umeris infundere rores :
> Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
> Et studio incassum videas gestire lavandi (1),

aiebam mecum tacitus. Sin autem advenæ, meis perfide clamantibus, furtim advolabant, et supra lacunam in orbem volando ferebantur, illud tunc succurrere :

> Adspice bis senos lætantes agmine cycnos,
> Aetheria quos lapsa plaga Jovis ales aperto
> Turbabat cælo ; nunc terras ordine longo
> Aut capere aut captas jam despectare videntur (2).

monem a docto carissimoque amico optime translatos referre : « Comme on voit en haut des airs un épervier, les ailes abandonnées au vent, enlevé par un vol rapide ; aucun mouvement brusque ne l'agite : il plane dans un ciel serein sur ses ailes en repos. » (*Les Argonautiques*, traduction française, par H. de la Ville de Mirmont, p. 79.)

(1) G. I, 383-387. Multo brevius hæc ab Homero (Il. II, 462) et a Varrone Atacino adumbrata erant.

(2) Aen. I, 393-396. Nondum invenerunt critici cui Græco auctori Vergilius hæc subripuerit !

Heu! minimo sono exterrita, omnis turba, multo feminarum clangore, marium nullo, ceu venti turbine abrepta, subito evanescebat; nec quicquam obstabat quin elusus venator in modum solacii secum hæc recitaret:

...... Quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore sècundo (1).

Sæpe quidem ab Homero, a Lucretio nonnunquam, animalium gestus eodem modo et inspecti et descripti erant. Nec parum doleo quod in his locis ubi Vergilius paludum et maris volucres cecinit, vivida illa Homeri verba de fulicis piscantibus aliisque aliarum prædæ anili clamore invidentibus: κλαγγηδὸν προκαθιζόντων (2), absunt. Cum olim bestiæ, in rudibus agris inviolatisque silvis errantes, procul a societate hominum nondum remotæ essent, multa sunt in Homericis earum descriptionibus non mente excogitata, sed visu percepta; scilicet hæc de duobus leonibus capram per virgulta auferentibus:

Ὕψοῦ ὑπὲρ γαίης κατὰ γαμφηλῇσιν ἔχοντε (3),

aut de lupis cervum vorantibus:

... Πᾶσιν δὲ παρήϊον αἵματι φοινόν·
Καὶ τ' ἀγεληδὸν ἴασιν, ἀπὸ κρήνης μελανύδρου

(1) Aen. X, 264-266.
(2) Il. II, 463.
(3) Il. XIII, 198.

Λάψοντες γλώσσῃσιν ἀραιῇσιν μέλαν ὕδωρ
Ἄκρον, ἐρευγόμενοι φόνον αἵματος · ἐν δέ γε θυμὸς
Στήθεσιν ἄτρομός ἐστι, περιστένεται δέ τε γαστήρ... (1)

aut de leone pullos circumeundo defendente :

Πᾶν δὲ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται, ὄσσε καλύπτων (2).

Apollonium omitto qui harum rerum descriptioni aut nihil aut vix quicquam novi addidit. Omnium autem memoriæ insiderunt Lucretii versus :

.... Hinc nova proles
Artubus infirmis teneras lasciva per herbas
Ludit lacte mero mentes perculsa novellas (3).

Venantumque canes in molli sæpe quiete
Jactant crura tamen subito vocisque repente
Mittunt et crebro redducunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inventa ferarum (4).

Quibus, nisi claudendorum rivorum jam adesset tempus, locum subjicerem ubi jucundissima quadam rei experientia animalis ejusdem vocem diversis temporibus diversam esse exposuit simulque canum aut ira dentes nudantium aut catulos pedibus blande jactantium suspensoque morsu petentium aut plagas summisso corpore fugientium imaginem effinxit (5); et illum subjicerem ubi feras

(1) Il. XVI, 159-163.
(2) Il. XVII, 136.
(3) T. Lucreti Cari *De Rerum Natura* libri sex, edited by Munro : I, 259-261.
(4) I, 991-994.
(5) V, 1063-1072.

ab hominibus ad bellum instructas et in hostium exercitum, multo ductorum periculo, missas, circi et ipse memor, descripsit :

> Et validos partim præ se misere leones...
> Terrificas capitum quatientes undique cristas....
> Irritata leæ jaciebant corpora saltu...
> Deplexæque dabant in terram vulnere victos,
> Morsibus adfixæ validis atque unguibus uncis.
> Jactabantque suos tauri pedibusque terebant
> Et latera et ventres hauribant subter equorum
> Cornibus et terram minitanti fronte ruebant.
> Et validis socios cædebant dentibus apri...
> Nam transversa feros exibant dentis adactus
> Jumenta aut pedibus ventos erecta petebant... (1).

Quare describendi rationem quæ Vergilii est, jam ante ab Homero et Lucretio (2) aut monstratam aut adumbratam, magistros vero a discipulo pæne superatos esse non est infitiandum. Longe abest quin animalium descriptiones aut apud Lucretium tantum locum obtineant aut apud Homerum tanta varietate distinguantur. Homo in eorum carminibus primas, in *Georgicis* secundas partes agit. Ceterum, si unam *Aeneida* de hac re cum *Iliade* et *Odyssea* conferes, plerumque, nisi fallor, Homerum narranti, Vergilium pingenti similiorem esse existimabis.

> .... Δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινὸς
> Σμερδαλέος, τόν ῥ' αὐτὸς 'Ολύμπιος ἧκε φόωσδε,

(1) *De Rerum Nat.* V, 1310-1331.

(2) Ab Hesiodo rarius, nec tamen nunquam; cf. Ἔργ. κα Ἡμ., 512 ; Ἀσπ. Ἡρακλ., 169-171 ; 303-304 ; 426-432.

Βωμοῦ ὑπαΐξας πρός ῥα πλατάνιστον ὄρουσεν·
Ἔνθα δ᾽ ἔσαν στρουθοῖο νεοσσοί, νήπια τέκνα,
Ὄζῳ ἐπ᾽ ἀκροτάτῳ πετάλοις ὑποπεπτηῶτες,
Ὀκτώ· ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα·
Ἔνθ᾽ ὅγε τοὺς ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας·
Μήτηρ δ᾽ ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη φίλα τέκνα·
Τὴν δ᾽ ἐλελιξάμενος πτέρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν.
Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ τέκν᾽ ἔφαγε στρουθοῖο, καὶ αὐτήν,
Τὸν μὲν ἀρίζηλον θῆκεν θεὸς, ὅσπερ ἔφηνε·
Λᾶαν γάρ μιν ἔθηκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω (1).

Tragœdia est, mirabilis miserabilisque, cujus in fine nec sceleris ultio nec deus ex machina deest. Neque multi laboris sit alias fabellas quasi in actus divisas recteque ad exitum deductas ex *Iliade* excerpere (2). Vergilius contra unius momenti spectaculo animum applicare, nec quid antea actum, nec quid postea futurum sit inquirere videtur (3); sicut pictor eorum qui coram stant non vitam enarrare, sed præsentem vultum gestumque pictura imitari vult :

Ut fera quæ densa venantum sæpta corona
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, et saltu supra venabula fertur (4).

(1) Il. II, 308.
(2) Cf. Il. XII, 299-306; XV, 271-276, etc.
(3) Eandem pingendi rationem interdum et Homero placuisse jam dixi iterumque confiteor (Il. XV, 579-581 ; XVIII, 579-586; Od. VI, 130-134 ; X, 410-414, etc.).
(4) Aen. IX, 550-552. Cum his versibus critici quendam *Iliadis* locum (XII, 41-48) conferre solent, omnino dissimi-

Cujus saltus imago ejus oculis quasi intercepta narrationem supplet. In notissimo quodam *Iliadis* loco (1) aquilæ cum serpente prœlium memoratur : concisa quidem narratio est ; quæ tamen, fluctuante primum pugnæ fortuna, unius casu, alterius fuga finiatur. Haud secus, Cicerone Homerum imitante (2), se res habet ; Vergilio, secus :

Utque volans alte raptum ceu fulva draconem
Fert aquila implicuitque pedes atque unguibus hæsit ;
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore
Arduus insurgens ; illa haud minus urget obunco
Luctantem rostro ; simul æthera verberat alis (3).

Hic ad simulandam utriusque corporis jactationem omnia referuntur. Sic quoque leo qui apud Homerum, stabula aggressus, cum molossis pastoribusque per totam noctem bellum gerit tandemque mane novo recedit (4), eo demum tempore quo prædam corripit correptamque tenet in lucem a Vergilio producitur :

Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capream aut surgentem in cornua cervum,
Gaudet hians immane, comasque arrexit, et hæret
Visceribus super incumbens : lavit improba tæter
Ora cruor (5).

lem ; in quo nihil est quod verbis : *et saltu supra*, etc., respondeat.

(1) XII, 200-207.
(2) *De Divinatione*, I, 47.
(3) Aen. XI, 751-756.
(4) Il. XI, 545-554.
(5) Aen. X, 723-728.

Quibus hæc adjungamus :

Impastus ceu plena leo per ovilia turbans
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu : fremit ore cruento (1).

In his locis attendas velim qua arte, motibus belluæ ex ordine notatis, ultimus versus concidatur et in clausula acquiescat. Nonnullæ enim comparationes in *Aeneide* eo modo sunt conclusæ ; quibus ad finem vergentibus bellua subsistit, suspenditur pes, rigent jubæ, stant lumina flamma, et e leone sæviente viva statua fit (2). Quod deridere noli sententiæ bene notæ et in proverbium jampridem versæ alludendo : « Ne jam moveatur ; inceptum est. » Nihil Vergilio cum nostratibus quibus alludis commune est. Non in ejus versibus compositum ambitiosumque vultum feræ induunt. Sed eo magis est admirandus, quod una pictura et insilientem et incumbentem feram, et jam jamque ab æthere delapsuram et delapsam avem legentium oculis præbet.

In *Georgicis* vero quam vario in motu animalia deprehendes! Ibi ab ortu ad occasum solis pecudum armentorumque aut laboribus aut ludis adesse licet. Non ille de optimis equis juvencisque frigide, ut Varro, disserit; non eorum corpora, ut Aristoteles,

(1) Aen. IX, 338-340. Licet alterum *Iliadis* locum (III, 23-26) cum his conferre : hic Homerus et leonem prædæ insilientem et pastores eum insectantes, duplice scilicet pictura, describit.

(2) Aen. X, 715 ; XI, 756 ; XII, 8 ; 720, etc.

ad naturam sanguinis pulmonisve explicandam dissecat: in media præsepia nos secum ducit, nobisque ante oculos et pascentem juvencam et currentem equum constituit:

Nec mihi displiceat........
Aut juga detrectans, interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior, quæque ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda (1).

Continuo pecoris generosi pullus in arvis
Altius ingreditur, et mollia crura reponit (2)...
... Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
Collectumque fremens volvit sub naribus ignem.
Densa juba, et dextro jactata recumbit in armo;
.... cavatque
Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu (3).

Rogitasne cur juvenca illa, ille equus mihi placeant? Moventur.

Adde quod apud Vergilium locorum temporumque descriptio avibus, pecudibus, belluis descriptis circumdatur, omniaque sibi conveniunt (4).

(1) G. III, 56-59.

(2) In quo versu apparet, qui omnia Vergilii dicta e Græcis auctoribus sumpta esse sibi fingunt, eis semper cavendum esse, ne in foveam decidant. Caveant enim ne hoc : *et mollia crura reponit,* a Xenophontis verbis : τὰ σκέλη ὑγρὰ μετεωρίζει, translatum putent : Ennii versus is est de gruibus!

(3) G. III, 75-88.

(4) Simile aliquid apud Græcos poetas præsertimque Hesiodum miramur. Quid enim versibus pulchrius in quibus hiemem describens omnium animantium dolores simul recognoscit, et silvam Austro gementem depingit, solamque virginem in materno cubiculo pensum devolventem canere ac

Non occurrit ejus menti ullorum locorum imago, quin statim animalium a quibus habitentur memoria redeat. Dicitur antiqua silva « stabula alta ferarum (1) », et silex quæ Caci speluncæ insurgit « dirarum nidis domus opportuna volucrum (2) », et saxum quod in navali ludo pro meta habetur « apricis statio gratissima mergis (3). » Hanc terram ceteris præstare docet unde arator silvam devexerit :

Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit : illæ altum nidis petiere relictis ;
At rudis enituit impulso vomere campus (4),

illam vero quæ glareosa clivosaque sit, vix apibu casias roremque ministrare, et tophum aut cretam chelydris tantum abundare (5). Quin ! si longinquas regiones, quas nunquam adiit, animo perlustrat, per deserta Libyæ mapaliaque raris tectis habitata pecudes Afro duce reptantes (6), et in Scythia cer-

ridere, hiemis ignaram, dicit ? (Ἔργ. καὶ Ἡμερ., 506 sqq.) Sic cum æstatem describit, homines et flores et animalia simul canit (574 sqq.). Neque hos versus satis laudare possim, de aurora (580-581) :

Ἠὼς, ἥτε φανεῖσα πολέας ἐπέβησε κελεύθου
Ἀνθρώπους, πολλοῖσι δ' ἐπὶ ζυγὰ βουσὶ τίθησιν.

(1) Aen. VI, 179. Cf. Lucret. I, 18 :

Frondiferasque domos avium...;

et Ronsard :

Forest, haute maison des oiseaux bocagers !

(2) Aen. VIII, 235.
(3) Aen. V, 128.
(4) G. II, 208-210.
(5) G. II, 211-215.
(6) G. III, 339-345.

vos nive sepultos summisque cornibus vix exstantes (1) sibi fingit.

Nec rursus de ullis animalibus mentionem facit quin locum quem frequentant recordetur. In culminibus bubo queritur (2) ; in pumice latebroso columba nidum habet (3); in piscoso Padusæ amne, per stagna loquacia, sonitum dant cycni (4) ; Tiberina ostia fulicæ mergique circumvolitant (5) ; ingenti Sila vel summo Taburno tauri inter se prœliantur (6). Non quivis unus, sed quidam Vesuli silvis et Laurentiæ paludis arundinibus diu defensus aper irrumpit (7). Procul, o procul absint conducta illa animalia quæ, incerto patre, ignota patria, in pictorum sculptorumque domo exsulant ! Sua cuique Vergilianorum domus est; quam ipsa rerum natura assignavit, sedem servant.

Ergo, nescio quid agreste redolent. Ne leonem qui in *Odyssea* ὕομενος καὶ ἀήμενος incedit (8), Vergilio displicuisse puta. Ille quoque feras per hibernam nigramque noctem squalentes, horrentes, e lustris in stabula mittit:

> Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili
> Cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres

(1) G. III, 349-383.
(2) Aen. IV, 462; G. I, 402.
(3) Aen. V, 214.
(4) Aen. XI, 458.
(5) Aen. VII, 32-34.
(6) G. III, 719; Aen. XII, 713.
(7) Aen. X, 707-709.
(8) VI, 131.

Nocte super media... (1).
.... Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula quos improba ventris
Exegit cæcos rabies... (2).

Quid vero de *Aeneide* loquor ? Ad *Georgica* iterum atque iterum revertendum. Hic non ruris aut litoris aut incultarum regionum animalia e mediis rebus abstracta, sed villæ, pascua, paludes, maris litora, deserta, omnia denique loca cum suis simul hospitibus apparent ; hic nunc vernarum dierum suavitas, et illi quibus definiendis verbum deest agrorum ac silvarum odores, nunc hiemis pallor tristitiaque infusa sunt et legentium animo irrepunt. Quam lepide apum labori et floridi horti halitum et rivulorum susurros et pellucidi aeris ridentisque cæli dulcedinem accommodaverit, referre vix necesse est ; nihil usquam, nisi Aristophaneos quosdam choros recordaberis, par reperies.

Nec, credo, ulla alia re magis quodcumque imitabatur suum fecit. Quæ enim alii inerti enumeratione exposuerant, in tabulam composite pictam convertit. An qui pingendo silvam mihi repræsentat, ejus qui silvæ arbores dinumeravit, æmulus appellandus est ? Dixerat quidem Varro : « Æstate... cum prima luce exeunt pastum, propterea quod tunc herba ruscida meridianam, quæ est aridior, iucunditate præstat. Sole exorto potum propellunt... Circiter meridianos æstus, dum defervescant, sub

(1) Aen. IX, 59-61.
(2) Aen. II, 355-357.

umbriferas rupes et arbores patulas subigunt, quaad refrigeratur. Aere vespertino rursus pascunt ad solis occasum,... ab occasu parvo intervallo interposito ad bibendum adpellunt et rursus pascunt, quaad contenebravit (1). » Pecuarium audisti; pictorem nunc attende :

At vero Zephyris cum læta vocantibus æstas
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde ubi quarta sitim cæli collegerit hora,
Ad puteos aut alta greges ad stagna jubebo
Currentem ilignis potare canalibus undam ;
Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubat umbra ;
Tum tenues dare rursus aquas, et pascere rursus
Solis ad occasum, cum frigidus aera vesper
Temperat, et saltus reficit jam roscida luna,
Litoraque alcyonem resonant, acalanthida dumi (2).

Quid refert eum et a Varrone præcepta et a Theocrito (3) unam aut alteram sententiam esse mutuatum? Tripartita tabula, in qua rus æstivum et novo mane et medio æstu et primo vespere nobis arridet, Vergilii vere tota est.

(1) *Rer. Rustic.*, lib. II, II, § 10-11.

(2) G. III, 322-338. Illos versus Calpurnius (Eg. V) repetivit, callida quidem, exquisitiore vero arte :

Frigida nocturno tinguntur pascua rore,
Et matutinæ lucent in gramine guttæ, etc.

(3) VII, 138.

Ad dilectissimum illum de præsagiis locum tandem veniamus, in quo Aratum, ut criticorum est sermo, imitatus est. Nec nulla est hujus, qui Διοσημεῖα inscribitur, libri cum annuis fastis similitudo, quibus boni agricolæ quæ futura sit sequentis diei tempestas inquirere solent. Non quod scribendi ars aut agrestium rerum lepos ei deficiat : de hirundinibus summam aquam ventre radentibus aut de bobus erecto capite aera captantibus jucunda mentio fit (1). Hæc vero Theophrasti, ut totius carminis materia, sunt ; nec ab ipso Arato qui urbe domoque inclusus (2) rerum naturam canebat, divini ruris gloriam auctam esse sperandum est. Vel minima, quibus olim aerias vices significari credebatur, multa eruditione aut credulitate recognovit versibusque exornavit (3) ; sed signa omnia adeo miscuit ut eos miserandos putem qui crastinam tempestatem ab eo discere velint. Timeo

(1) Διοσημ., 213-223.
(2) Cf. Couat, *La Poésie Alexandrine*, p. 46.
(3) Διοσημ., 400 sqq.

Ἀλλὰ γὰρ οὐδὲ μύες τετριγότες εἴποτε μᾶλλον
Εὔδιοι ἐσκίρτησαν, ἐοικότες ὀρχηθμοῖσιν,
Ἄσκεπτοι ἐγένοντο παλαιοτέροις ἀνθρώποις·
Οὐδὲ κύνες· καὶ γάρ τε κύων ὠρύξατο ποσσὶν
Ἀμφοτέροις, χειμῶνος ἐπερχομένοιο δοκεύων.

At Morschius : « Vergilius, ait, nonnulla prognostica sine causa contraque rerum veritatem variavit, ita ut alteram partem præsagiorum quarundam avium exprimeret altera neglecta, ardearum prognostica ad mergos, monedularum ad corvos adhiberet. » — Nempe, ut Morschio placeret, debebat Vergilius ardeam pro ave marina habere. Miror Morschium non questum esse quod saltantes mures poeta omiserit.

ne, procellæ serenique signis eidem paginæ non nunquam insertis, et hoc corvorum clamore imbrem, illo solem significante (1), spe solis egressi imbre intercipiantur. Magis autem timendum ne liber e manibuseorum excidat, quum, tot surgentis venti (v. 177 200) et advenientis pluviæ (v. 201-255) et redeuntis solis (v. 256-280) signis jam descriptis, rursus alia et solis et pluviæ et venti signa (v. 281-422) nullo ordine descripta adspexerint. Timendum ne illa centies iterata : ἐρχομένου θέρεος, κινυμένου χειμῶνος, χειμῶνος ἐπερχομένοιο, χειμῶνος ἰόντος, ὕδατος ἐρχομένοιο, χείματος ἐρχομένου, ἐρχομένων ὑετῶν, etc., fastidium moveant. Scit enim singula excolere ; totum ponere, ut Horatii verba usurpem, nescit.

At Vergilius, majore pingendi quam docendi studio, paucis signis electis collectisque, qui sit et procella adveniente et renascente sole rerum animantiumque habitus, ostendit. Primum, ventis surgentibus, maria tumescere, et aridus fragor altis montibus audiri, et longe resonantia litora misceri, et nemorum murmur increbrescere incipiunt (2) :

Jam sibi tum a curvis male temperat unda carinis,
Cum medio celeres revolant ex æquore mergi (3),

(1) Διοσημ., 231-237 ; 271-275.

(2) G. I, 356-359 ; cf. Διοσημ., 177-180.

(3) Liceat eos qui Vergilii carmina in gallicum sermonem vertunt monere ne mergos diutius *plongeons* vocent. Nesciunt eas aves quibus in nostro sermone *plongeons* nomen est, brevissimis alis insignes, ne dicam alis truncas, multo-

Clamoremque ferunt ad litora, cumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ (1), notasque paludes
Deserit atque altam supra volat ardea nubem (2).

Mox autem de parte Boreæ fulminat, toto cælo tonat : terris marique incubat nox. Væ nautis messoribusve imprudentibus ! Nonne viderant ut grues vallem peterent buculaque auras patulis naribus captaret ? Nuper arguta hirundo lacus circumvolitabat ranæque in limo canebant ; nuper formica e penetralibus tectis ova extulit. O miseros qui ingentem arcum in mediis nimbis bibentem, et corvorum agmina e pastu trepide decedentia, et anates aut querquedulas in stagnis inexpleto studio lavandi gestientes, et cornicem in litore spatiantem contempsere (3) !

.... Omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit (4).

que magis ad nandum quam ad volandum idoneas esse. Difficile quidem est dicere quam demum avium speciem Græci hoc verbo : κόλυμβος, Latini illo : *mergus*, designaverint, cum cunctæ aves marinæ fluctibus mergi (κολυμβάω) soleant. In hoc tamen versu, quo mergorum agmina e medio æquore gregatim celeriterque revolantia Vergilius descripsit, notos dilectosque volucres quos *goëlands* vocamus agnoscere mihi videor.

(1) De hoc Morschius : « Quod breviter dixit : *ludunt*, pro τινάσσονται πτερύγεσσιν, lectorem notabili more fulicarum atque suavissima et pulcherrima Arati imagine privavit. » Scire velim ubi Morschius fulicas in sicco alis plaudere viderit ; tum miror quod Vergilium aut Græcos imitantem aut non imitantem pariter incusat.

(2) G. I, 360-364.

(3) G. I, 370-389.

(4) G. I, 371-373.

Quid vero ? En procella residente tonitrus silescit ; en cælo patefacto sol erumpit ; en fit undique avium concentus (1) :

Nescio qua præter solitum dulcedine læti
Inter se foliis strepitant : juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcesque revisere nidos (2).

Quibus quidem versibus perlectis quædam illius Ruysdael pictura cui *Procella* nomen est mihi ante oculos obversatur (3), et illa quæ dicitur *Symphonia Pastoralis* auribus obstrepit. Quapropter cum eo nunquam consentiam a quo hoc scriptum est : « Dans les nombreuses et excellentes descriptions d'histoire naturelle que nous a léguées l'antiquité, nous regrettons l'absence complète du sens pour le paysage... L'attention y est partout dirigée sur les divers phénomènes considérés chacun en particulier, bien plus que sur la convergence simultanée des effets qu'ils produisent vers un ensemble (4). » Di meliora piis !...

(1) G. I, 393-423.

(2) G. I, 412-414.

(3) Queritur vero J. van Wageningen (p. 131) quod Vergilius in eodem loco et de animalibus procella exterritis et de arcu bibente sit locutus : « Quod prognosticum, ait, Aratus ratione severiore usus junxit cum fulguribus et nubibus. » Sic isti pulcherrimos illos versus intellegunt. Quum in promptu sit hibernæ cujusdam diei descriptio maximis pictoribus digna, aliter rem se habere apud Matthæum Lænsberg conclamant !

(4) Friedländer; trad. par Ch. Vogel, II, p. 492-493.

CAPUT IV

QUO PECTORIS AFFECTU ANIMALIA CECINERIT

Quum vero jam in hac Vergilianorum carminum particula tam multa admiranda invenerimus, restat ut qua maxime nos omnia hæc delectent explicetur. Nec enim solum quia pulchra, sed etiam quia mortalis condicionis consortia sunt, animalium laudationi studuit : ea et mereri et dolere, in eorum corde nescio quid humani latere intellexerat, atque ut intellegeremus effecit.

Quod quidem alii, ut ante breviterque prædixi, jam perceperant. Non quicquam in veterum recentiumve poetarum libris illo *Odysseæ* loco (1) esse miserabilius credo, in quo reduci Ulyssei obviam senex quidam canis aut it aut ire conatur. Jacebat scilicet in fumo Argus, squalidus, senectutis causa derelictus, auditoque gressu advenientium caput et aures arrexerat : Ulyssem vero odoratus, mota cauda aures demittit. Et Ulysses, lacrimis furtim obortis, eum agnoscit : se tamen nescire simulat qui sit iste canis, quæritque ab Eumæo. Tunc me-

(1) XVII, 291 seqq. Cf. etiam quos jam memoravi de passeris cujusdam pullis a serpente occisis versus.

morantur quæ quondam Argi fuerunt sagacitas agilitasque ; fit de eo quasi oratio funebris. At is, domino tandem reddito, ad Manes descendit.

Est quoque in notis versibus Lucretii simile aliquid :

Nam sæpe ante deum vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen ;
At mater virides saltus orbata peragrans
Noscit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
Omnia convisens oculis loca si queat usquam
Conspicere amissum fetum, completque querellis
Frondiferum nemus absistens et crebra revisit
Ad stabulum, desiderio perfixa juvenci.
Nec teneræ salices atque herbæ rore vigentes
Fluminaque ulla queunt summis labentia ripis
Oblectare animum subitamque avertere curam,
Nec vitulorum aliæ species per pabula læta
Derivare queunt animum curaque levare :
Usque adeo quiddam proprium notumque requirit (1).

Ceterum, caveamus ne multo molliorem clementioremque erga bestias animum nobis quam antiquis inesse opinemur. Ne illa lege cui Gramont nomen dedit nimis superbiamus ! Capite olim sanxerant si quis bovem occidisset (2). Vere romana est hæc Varronis vox : « Novi majestatem boum (3). » Nec minus noverat eam Cato : durus homo quidem ac priscus, qui tamen quæcumque

(1) II, 352-366.
(2) *Rer. Rustic.* lib. II, v, § 4.
(3) Ibid.

agris prodesset rem sacram esse profiteretur. « Boves, ait, maxima diligentia curatos habeto... Pecori et bubus diligenter substernatur, ungulæ curentur (1). » Non dubius sum quin pecoris magis quam familiæ valetudini consuluerit : « Bubus medicamentum, si morbum metues, sanis dato salis micas tres, folia laurea III, porri fibras III, ulpici spicas III, alii spicas III, turis grana tria, herbæ sabinæ plantas tres, rutæ folia tria, vitis albæ caules III, fabulos albos III, carbones vivos III, vini S. III. Hæc omnia sublimiter legi teri darique oportet... (2). » — Nec satis est ; quemadmodum eis vel sanis medetur, sic pro eis precatur deos : « Votum pro bobus, uti valeant, sic facito. Marti Silvano in silva interdius in capita singula boum votum facito... Eam rem divinam vel servus vel liber licebit faciat... Mulier ad eam rem divinam ne adsit neve videat quo modo fiat (3). » Quæ ego Maroni, etsi ab anilibus his superstitionibus liberatus erat, reverenda potius quam deridenda visa esse credo ; nec scio an, hac ipsa Catonis pro bubus precantis imagine ad pristinæ simplicitatis desiderium versus, exclamaverit :

...... Sic fortis Etruria crevit
Silicet, et rerum facta est pulcherrima Roma (4) !

Porro, fuerant jam quibus non nulla animalia

(1) *De Agri Cult.* V, § 6.
(2) Ibid., LXX, § 1-2.
(3) LXXX.
(4) G. II, 532-533.

vel misericordia vel respectu digna viderentur, nec sine religiosa quadam admiratione de apibus Aristoteles et Varro præceperant. Quantum autem hi sensus in animo Vergilii adoleverunt efflorueruntque ! Quid, si Cato in educando pecore diligentissimus fuit ? Deerat Catoni benignitas qua vel minima Vergilii præcepta, ut de capellis, de ovibus (1), commendantur. Ille est cujus dolor, erepto fundo, metu augebatur ne quid mali mutato domino gregi accideret, ne fetis insueta pabula nocerent (2); ille qui dixit :

..... armenta boum meritosque juvencos (3).

Non contentus hoc est quod vaccæ equæve gravidæ otio fruuntur : eis, longa fastidia miseratus, dulciorem cibum, pascua amœniora, ad vincendum stomachi langorem recreandosque oculos, præberi vult :

Saltibus in vacuis pascunt et plena secundum
Flumina, muscus ubi et viridissima gramina ripa,
Speluncæque tegant et saxea procubet umbra (4).

(1) Cf. G. III, 318-321 ; 298-299 :

Ergo omni studio glaciem ventosque nivales,
Quo minus est illis curæ mortalis egestas,
Avertes, victumque feres et virgea lætus
Pabula....
Sternere subter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus.....

quæ legenti succurrunt versus :

Ah ! te ne frigora lædant !
Ah ! tibi ne teneras glacies secet aspera plantas !
(Buc. X, 48-49.)

(2) Buc. I, 49-50.

(3) G. II, 514.

(4) G. III, 143-145.

Apibus quoque, qualem ipsi amantes sibi ad dulcia colloquia mente fingunt, sedem assignat :

> At liquidi fontes et stagna virentia musco
> Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus,
> Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret (1).

Quin! postquam omne mel ex alveariis subripiendum esse memoravit, ei tamen submissa voce assentitur qui de jure bonus aliquid remittere solet :

> Sin duram metues hiemem parcesque futuro,
> Contusosque animos et res miserabere fractas... (2).

Nam ad defendendam coloni simul et pecoris causam *Georgica* condidit; utriusque utilitati consulebat : ne fetas vaccas mulgerent (3); ne taurinos equinosve pullos conviciis et plagis ad agrestes usus formarent : satius esse vitulos hortari ac servitio sensim assuefacere (4), equis blandas laudes adhibere et amica manu cervici plaudere (5); ipsi sues glande læti redirent (6); magistro quoque prodesse omnis pecoris cum corpora valere, tum corda lætari. Hæc erat Vergilii præcipientis ratio. Nec crudelius hoc Catonis Varronisque præceptum: « Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu

(1) G. IV, 18-20.
(2) G. IV, 239-240.
(3) G. III, 176-178.
(4) G. III, 163-173.
(5) G. III, 185-186.
(6) G. II, 519.

acriores et vigilantiores sint (1) », apud eum invenies.

Non tamen ille aut temere aut stulte misericors. Non, quia gentem quæ prima cæsis juvencis epulata sit impiam dicit (2), orat ut leguminibus tantum vescamur. Duos, ait, reges apum in examine uno nactus, neci deteriorem dato (3); spretis avium doloribus, silvas ad arandum eruito (4). Immo, senibus equis non ignoscendum esse profitetur. Quid hoc rei est? Num venibunt? Num cædentur? Absit omnis ejusmodi suspicio : eos domo abdere, scilicet a Venere prohibere, intra villam ad faciliora nec inutilia convertere jubet (5). Alio loco, ut muri, talpæ, bufoni, curculioni, formicæ bellum indicatur suadet (6) : eos horreum populare, pestes esse; pestem quoque ovili lupum (7), pestem alveariis hirundinem (8); ab eis homines se tueri oportere. At ne istas quidem pestes, non quæ nocentia appellamus animalia Vergilius horrere aut odisse potest. Quippe qui formicam hiemi providere et inopi senectæ metuere (9), hirundinem ut nidis escam ferat apibus insidiari (10), lupos, quia siccis

(1) Cat. : CXXIV ; Varr. : I, XXI.
(2) G. II, 536.
(3) G. IV, 90.
(4) G. II, 206-210.
(5) G. III, 95-96.
(6) G. I, 181-186.
(7) Buc. III, 80 ; G. III, 407.
(8) G. IV, 15.
(9) G. I, 186 ; Aen. IV, 403.
(10) G. IV, 17.

faucibus catuli relicti exspectent, raptores fieri (1) meminerit. Itaque bestiarum bestiolarumve intelligentia ac virtutibus, seu ad nos adjuvandos seu ad suam suorumque vitam servandam laborant, illius animus æque commovetur.

O quam ridicula de his ceteri decantaverunt ! Traditur ab Aristotele camelus quidam, cum ejus matri camelarius caput panno obvolvisset saliendamque inscio submisisset, delapso forte panno et fraude cognita, inceptum quidem scelus consummavisse, postea vero camelarium occidisse ; traditur equus, quum eodem dolo deceptus venerandæ matri eandem contumeliam intulisset, aufugisse et ab excelsa rupe in pontum se dedisse (2). Cur non sibi oculos alter ille Œdipusfoderit,tacet Aristoteles. Caverunt autem Varro Pliniusque ne tanta pietatis ac pudicitiæ exemplaria omitterent (3), nec quicquam apud antiquos illo camelo illustrius, nisi hic equus. Quid vero ? In Ariminensi

(1) Aen. II, 357-358 : cum quibus versibus paginam hanc conferri velim : « A l'aube, dans un ravin de la vieille forêt, des louveteaux hurlaient joyeusement. Ils étaient cinq, quatre d'une taille à peu près égale, et un tout petit avec une tête plus grosse que le corps. La louve, maigre, en train de muer, traînant son ventre plein dont les mamelles pendaient jusqu'à terre, sortit d'un hallier et vint s'asseoir près de ses louveteaux. Ceux-ci formèrent le cercle devant elle ; elle alla au plus petit, baissa la queue, et inclinant son museau vers le sol fit quelques mouvements convulsifs ; elle ouvrit sa gueule hérissée de dents ; puis, d'un dernier effort, cracha un grand lambeau du cheval. » (Tolstoï, *Histoire d'un cheval*, § 12.)

(2) Περὶ τὰ Ζῶα, lib. IX, cap. XLVII (XXXIV).

(3) Varr. : lib. II, VII, § 9. Plin.: lib. VIII, cap. LXIV-42.

agro, M. Lepido, Q. Catulo coss., in villa Galerii gallinaceum locutum esse (1); aquilam, a virgine educatam, defuncta domina in rogum accensum se injecisse et simul conflagravisse (2); Nicomedis uxorem a cane laceratam esse « propter lasciviorem cum marito jocum (3) »; grues nocturnis temporibus excubias habere, pede lapillum sustinentes qui laxatus somno et decidens indiligentiam coarguat (4); elephantos, fessos ægritudine, herbis in cælum jactis alicui deo supplicare (5); ab eis, se eburneorum dentium causa peti ratis, ad adventum venatorum primos constitui quibus sint minimi dentes ne tanti prœlium putetur (6); eosdem, cum deficientibus viribus in eo sint ut ab hominibus capiantur, sponte dentes impactos arbori frangere prædaque se redimere (7); et multa alia quæ memorentur pariter digna a Plinio accipimus. Rursus omnia hæc Ælianus in librum coegit qui Περὶ Ζώων inscribitur, quem vero *De Bestiis Illustribus* aut *Vita Sanctorum Bipedum Quadrupedumque* inscribi conveniret : hic comitatem leonis Androcli parcentis delphinique naufragum piscatorem servantis, hic conjugalem amorem cornicum mirari licet. Nec, medius fidius, Æliani fabellas dedecerent quæ ipse

(1) Plin., lib. X, cap. xxv-21.
(2) Id. lib. X, cap. vi-5.
(3) Id. lib. VIII, cap. lxi-40.
(4) Id. lib. X, cap. xxx-23.
(5) Id. lib. VIII, cap. i-1.
(6) Id. lib. VIII, cap. iv-3.
(7) Id. id. id.

Buffon de elephantorum castitate ac conjugiis ad corrigendos ætatis suæ mores graviter ornateque dixit. Quare, quisquis procul a rure, in media bibliotheca, eruditus litteratusque animalium laudes canere incipit, plenum periculosæ aleæ opus ingredi mihi videtur.

Nihil apud Vergilium tale ; nec mendax ille, nec credulus ; animalia magis diligit quam quæ falsis alienisque laudibus extollat. Non, quæ deorum atque infantium more nuda sunt, pudica aut impudica vocat, neque quod naturam sequuntur erubescit. Miratur quidem apes :

Quod neque concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fetus nixibus edunt (1),

quasi in eis, quibus communium necessitatum pæne exsortibus florum habitu vesci æternumque virginitatem colere datum est, nescio quid elegantius puriusque quam in ceteris animantibus inveniat atque veneretur. Haud tamen vere novo, cum certis diebus Venerem armenta repetunt (2), oculos pudice demittit. Ut urbanitatem boves, ut quid deceat quid non sues nos doceant, non exigit, neque ad eum finem lepidas callidasque historias excogitat. Id quod doctorum virorum investigationibus scriptisque apud nos in dies magis magisque manifestum fit, præsensit : omnibus historiis quæ ad laudanda animalia excogitatæ sunt, cotidiana mi-

(1) G. IV, 197-198.
(2) G. II, 328.

nimaque unius bestiolæ facta mirabiliora esse : illic silicet nihil nisi humani, hic divini aliquid pellucet.

Sic de apibus, quarum civitates fere jam pernoverat, plurima est ejus laudatio. Sic rursus, quamvis animalia nostrorum laborum socia esse sæpius memoraverit (1), ea nostri quoque vel luctus vel gaudii socia esse aut non dicit, aut modice verique similitudine servata dicit. Non in illius carminibus equi ductorem affari hortarique solent. Vix semel aut bis, cum in Pallantis pompa bellatorem equum lacrimantem grandibusque guttis ora humectantem (2) aut circum Gallum indigno amore consumptum oves stantes (3) describit, nostri muta « non pænitere » fingit ; muta certe apud eum tacent. At Melibæus patriam fugiens capellas alloquitur :

> Ite, meæ, felix quondam pecus, ite, capellæ (4) !

Alloquitur equum occiso Lauso Mezentius :

> Rhœbe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
> Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta
> Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
> Ultor eris mecum ; aut, aperit si nulla viam vis,
> Occumbes pariter ; neque enim, fortissime, credo,
> Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros (5) :

(1) G. I, 118.
(2) Aen. XI, 89-90.
(3) Buc. X, 16.
(4) Buc. I, 74.
(5) Aen. X, 861-866.

Et mox Rhœbus, Æneæ fraude, cadit, mox cum magistro morte una quiescit (1). Ut enim Vergilius nihil nobis esse naturalius quam in consortium tristitiæ lætitiæve nostræ familiaria animalia vocare scit, ita illius consortii spem qua aliquid recreamur nec omnino demere, nec omnino firmare audet. Alia certioraque et observavit et refert, quibus nostram animaliumque fortunam simillimam esse sentiamus et fraterno nomine ea dignemur.

Nempe simplicem eorum vitam simpliciter narrat. Qui sint eis lusus, quæ gaudia, non nescit. Parvo ea contenta sunt ; et placide dormiunt et facile lætantur, quippe quæ innocentia sint : sole avis garrula fit, imbre rana (2). Liceat bobus per pascua errare (3), hædis in gramine inter se luctari (4), cervis per valles pasci (5), equis solo insultare (6) : hoc satis est. Quod autem rarius datur ; laborandum. Cuique suum munus ; nec cuiquam ad præstandum munus aut mens aut pectus deest. Adspice qua patientia jugi, quam contenta cervice taurus inter vineta aratrum trahat (7) ; quanta prudentia quantoque sudore fera venatorum insidias et canum morsus vitet (8). Rursus adspice vel for-

(1) Aen. X, 890-893.

(2) G. I, 412-413 ; 378.

(3) Buc. I, 9.

(4) G. II, 524-525.

(5) Aen. I, 186.

(6) G. III, 117.

(7) G. II, 356. Cf. Lucret. I, 211 ; II, 1161 ; V, 206-217 de illo colonorum ac boum sudore.

(8) G. III, 409-413 ; Aen. XII, 751, etc.

micas dum pars grandia frumenta trudunt, pars cogunt agmina castigantque moras (1) ; vel apes

.... cum gentis adultos
Educunt fetus, aut cum liquentia mella
Stipant et dulci distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent (2)...
At fessæ multa referunt se nocte minores
Crura thymo plenæ.... (3).

Quid vero? Etsi animalium vita sine crimine degitur (4), etsi nostri luxus nostrorumque vitiorum expertia sunt (5), subeunt curæ atque morbi :

...... casus apibus quoque nostros
Vita tulit (6).

Nam ut primum juvenci crevere, amoris stimulis vexantur. Fit de femina prœlium ; cornibus inter se decernunt amantes :

.... sed alter
Victus abit, longeque ignotis exsulat oris
Multa gemens ignominiam plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores,
Et stabula adspectans regnis excessit avitis (7) .

Refectis autem viribus collectoque robore iterum in hostem fertur :

(1) Aen. IV, 402-407.
(2) Aen. I, 431-435.
(3) G. IV, 180-181.
(4) Aen. IV, 550-551.
(5) G. III, 526-530.
(6) G. IV, 251-252.
(7) G. III, 224-228.

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem (1)...

Notissima est pagina ; nec pauca Vergilius ab Aristotele hic mutuatus est ; immo, eundem fere ordinem secutus est (2). Lucretii quoque prologum, quo omnipotentis Veneris gloria celebratur (3) hic respexit. At tantum quid amantium corpora patiantur docet Aristoteles (4), de animis eorum silet ; et Lucretii versus alacritatem voluptatemque spirant.

(1) G. III, 235-244.

(2) Περὶ τὰ Ζῶα, lib. VI, cap. XVIII (XVII). Qui sit animalium viviparorum ad coïtum ardor Aristoteles hic docet ; ac primum de equis, apris, tauris quorum mox prœlia refert, de arietibus, hircis, camelis, de feris, ursis, lupis, leonibus elephantis, de canibus, suibus, de feminis equis maxime tunc furentibus, de hoc quod vocatur hippomanes, de equarum vento gravidarum fuga in Austrum loquitur. Quasdam sententias cum versibus Vergilii confere liceat. De tauris, § 8 : ὁ δέ ταῦρος, ὅταν ὥρα τῆς ὀχείας ᾖ, τότε γίνεται σύννομος καὶ μάχεται τοῖς ἄλλοις... — Cap. XXI, § 1 : Ὀχεύει δ' ὁ νικῶν τῶν τάυρων · ὅταν δ' ἐξαδυνατήσῃ διὰ τὴν λαγνείαν, ἐπιτίθεται ὁ ἡττώμενος, καὶ κρατεῖ πολλάκις (Cf. G. III, 219-241). De apris, cap. XVIII (XVII), § 2 : πρὸς ἀλλήλους μὲν ποιοῦνται μάχας θαυμαστὰς, θωρακίζοντες ἑαυτοὺς καὶ ποιοῦντες τὸ δέρμα ὡς παχύτατον ἐκ παρασκευῆς, πρὸς τὰ δένδρα τρίβοντες καὶ τῷ πήλῳ μολύνοντες πολλάκις καὶ ξηραίνοντες ἑαυτούς (Cf. G. III, 255-257). De equis, cap. XVIII (XVII), § 7 : Οἱ δ' ἄρρενες ἵπποι διαγιγνώσκουσι τὰς θηλείας τὰς συννόμους ταῖς ὀσμαῖς (Cf. G. III, 251). — Morschius, qui Græcorum poetarum membra in cunctis Vergilii versibus disjecta reperit, negat eum ex Aristotele quicquam hausisse ; infelix scilicet et affirmando et negando.

(3) Lib. I, 1-20.

(4) Satis sit, exempli causa, unum hoc referre de feminis equis amore ardentibus : « Οὐροῦσι δὲ πολλάκις. » (Cap. XVIII [XVII], § 5.)

Eum contra amorem Vergilius canit quo omnium animantium corda crucientur :

Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis....
Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor ?...
Quid lynces Bacchi variæ, et genus acre luporum
Atque canum ? Quid, quæ imbelles dant prœlia [cervi (1) ?]

Post partum, in natos omnis cura traducitur. Tunc unaquæque avis itque reditque viam :

Pabula parva legens nidisque loquacibus escas (2).

Nec Homerus nec Lucretius matres dulcius miserati erant. Decies ille maternum dolorem, vel erepto vel amisso nato, dixit (3) :

.... Qualis cum fessa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva
Perdita, nec seræ meminit decedere nocti (4).

Qualis populea mærens philomela sub umbra
Amissos queritur fetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit ; at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat et mæstis late loca questibus implet (5).

Disce nunc quæ tantorum laborum merces, quæ

(1) G. III, 245-246 ; 258-259 ; 264-265.
(2) Aen. XII, 475 ; cf. etiam G. IV, 17.
(3) Cf. Aen. V, 214 ; IX, 61; IX, 564, etc.
(4) Buc. VIII, 85-89.
(5) G. IV, 510-514.

tantarum curarum consolatio sit : moriuntur. Non hic referre licet quot animalium mortem Vergilius descripserit, quam multorum exsequias pie duxerit. Haud via mortis est simplex. Sunt quæ sui officii studio pereant, ut sæpe apes :

> ......duris errando in cotibus alas
> Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere :
> Tantus amor florum et generandi gloria mellis (1) !

Sunt quoque ex apibus quæ pro patria ac rege ad instar heroum dimicantes mactentur :

> Ingentes animos angusto in pectore versant...
> .... et corpora bello
> Objectant pulchramque petunt per vulnera mortem (2).

Hinc vituli sine ullo questu, sine ira, ad plena præsepia dulcem animam reddunt (3) ; illinc equus, quondam victor, febri uritur, ilia singultu tendit, suos ipse artus dentibus laniat, difficilem obitum sortitus (4). Nunc cervus, postquam cursu latratibusque canis territus mille vias fugit ac refugit, in ripa procumbit gemens atque imploranti similis (5) ; nunc fera venatorum corona sæpta morti se haud nescia injicit saltuque fertur supra venabula (6).

> ..... Pœnorum qualis in arvis

(1) G. IV, 203-205.
(2) G. IV, 83, 217-218.
(3) G. III, 495.
(4) G. III, 498-514.
(5) Aen. XII, 747-753; VII, 501-502.
(6) Aen. IX, 550-552.

Saucius ille gravi venantum vulnere pectus
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento (1).

Morituris plaudis? Quin viventibus parcebas?

Hoc enim, licet variæ sint, significant omnes illæ morientium descriptiones. Huc etiam tendit, ex Pythagoreicis, Platonicis Stoïcisque præceptis conflata, ratio qua unam esse cunctorum animantium originem, omnia ex eodem quasi utero nasci, in idem gremium post mortem confugere exposuit Vergilius. Qui sapienter cum aves deorum interpretes esse ac divinitus ominari infitiatus est (2), um unicuique bestiæ aliquam particulam mentis divinæ et ætherios haustus esse docuit (3) :

.... deum namque ire per omnia,
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum;
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas;
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia, nec morti esse locum, sed viva volare
Sideris in numerum atque alto succedere cælo (4).

Idem in sexto *Æneidis* libro confidentius affirmavit :

(1) Aen. XII, 4-8.

(2) G. I, 415-422.

(3) G. IV, 219-221. Cf. Arist., de Gener. Anim., III, § 10 : οὐ γὰρ ἔχουσιν (vespæ atque crabrones) οὐθὲν θεῖον, ὥσπερ τὸ γένος τῶν μελιττῶν. Neque tamen omnino idem est; Aristoteles enim, quod apes sine ullo coïtu nasci credit, Vergilius autem, quod eas intelligentia ac virtutibus excellere existimat, aliquid divini in eis invenit.

(4) G. IV, 221-227.

Principio cælum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus (1).

Unde fit ut alvearium sedem augustam vocet (2); nempe

Quis deus, incertum est; habitat deus.

Unde fit etiam ut in Elysiis campis inter umbras magnanimorum heroum equos pascentes statuat (3). Nec miraberis Vergilium in ea philosophia quæ animalia immortalitate donaret acquievisse; nec in illius scriptis discreparent nostratis cujusdam poetæ versus ad catulum :

Non, quand ce sentiment s'éteindra dans tes yeux,
Il se ranimera dans je ne sais quels cieux.
De ce qui s'aima tant la tendre sympathie,
Homme ou plante, jamais ne meurt anéantie :
Dieu la brise un instant, mais pour la réunir;
Son sein est assez grand pour nous tous contenir (4)!

Hæc porro Vergilii de mundi anima non parvi æstimanda sunt : omnia quæcumque de animalibus seu pectoris impulsum sequendo seu ratiocinando præcepit, sibi constare patet; ipsius apiculæ dignitas declaratur. Verum enim vero aliquid commune

(1) Aen. VI, 724-729.
(2) G. IV, 228.
(3) Aen. VI, 652-655.
(4) *Jocelyn;* Neuvième époque.

cunctis animantibus inesse melius docebat, cum multa et injusta cunctis patienda esse memoraret. Sic nos, ut omnibus indulgeremus, invitavit adduxitque: sic animalia quasi in civitatem adscivit. Operæ pretium est animadvertere quam libenter de illis ac de hominibus eadem verba, ut scilicet *dulces animas* (1), *corpora luce carentum* (2), usurpaverit ; in *Georgicis* verbum hoc : *juvenum*, pro *juvencorum* reperies (3). Memini equidem ejus proposito conducere ac suffragari latinum sermonem, quo juvenca equave *femina* vocabatur. Id nihilominus Vergilii est taurum hominemque pariter *miseros mortales* vocare :

Solve mares, mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando suffice prolem.
Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit ; subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor, et duræ rapit inclementia mortis (4).

Adde quod comparationum quibus frequentissime utitur hæc est virtus, ut hominum animaliumque similitudo vel potius cognatio certior evadat ; ut præsertim in *Æneide*, collatis totiens bellatorum belluarumque factis, par sævitia, par fortitudo, ærumna denique par esse videatur.

Quæ cum ita sint, Vergilii, quo candidiorem

(1) G. III, 395 ; Aen. III, 140.
(2) G. IV, 255, 471.
(3) G. III, 165.
(4) G. III, 64-68. Fuit criticus, qui divinos illos versus obscuritatis coargueret officioseque corrigeret : scilicet, Peerlkampius. Cf. Forbig. ad hunc locum.

animam exstitisse Horatius negabat, ea sit æterna laus, quod eadem caritate ac miseratione nos mutaque amplexus est. Vel cum super exanimum amicum placida morte Nisum componeret, vel cum luctantem animam nexosque artus Phœnissæ resolveret, vel cum Pallantis Lausique virtutem et patrum matrumve luctum diceret, suppetebant ei lacrimæ; suppetebant, cum languentem florem contemplaretur :

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur (1);

Suppetebant denique cum taurum fratre orbatum caneret. Quem suavissimum locum ad hujus orationis finem integrum religiose servavi. Omnium quidem memoriæ ac pectori insedit : ne tamen mihi invideatur ejus transcribendi voluptas. Ille est locus cujus auctor esse quam maximi regis favore frui maluisset Scaliger; ille, quem ipsi critici e Græcis aut e Varrone expressum esse nondum contenderunt !

Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator
Mærentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata movere animum, non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis; at ima

(1) Aen. IX, 434-436 ; cf. etiam XI, 68-70.

Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes (1),
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor aut benefacta juvant? Quid vomere terras
Invertisse graves? Atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ :
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ;
Pocula sunt fontes liquidi atque exercita cursu
Flumina, nec somnos abrumpit cura salubres (2).

(1) Cf. *La Légende des siècles; Le Crapaud :*

Il avait dans ses yeux voilés d'une vapeur
Cette stupidité qui peut-être est stupeur.

(2) G. III, 515-530. Cf. *La Mare au Diable*, I : « Les gens qui ne connaissent pas la campagne taxent de fable l'amitié du bœuf pour son compagnon d'attelage. Qu'ils viennent voir au fond de l'étable un pauvre animal, maigre, exténué, battant de sa queue inquiète ses flancs décharnés, soufflant avec effroi et dédain sur la nourriture qu'on lui présente, les yeux toujours tournés vers la porte, grattant du pied la place vide à ses côtés, flairant les jougs et les chaînes que son compagnon a portés, et l'appelant sans cesse avec de déplorables mugissements. Le bouvier dira : c'est une paire de bœufs perdue; son frère est mort, et celui-là ne travaillera plus. Il faudrait pouvoir l'engraisser pour l'abattre; mais il ne veut pas manger, et bientôt il sera mort de faim. »

CONCLUSIO

Libet, vel potius decet pauca de Fontanio ad concludendum hoc opusculum addere. Ecquis enim de animalibus loqui potest, quin ejus fabulas recordetur? Carissimus et ille, nec ad id cum Vergilio comparandus, ut minuatur alterius, alterius augeatur gloria; hac vero comparatione, quid proprii Vergilio in animalium descriptionibus sit, clarius videre mihi videor.

Quamvis Fontanius rerum naturalium scriptoribus se non applicaverit, haud minor est ejus quam Vergilii diligentia ad observanda animalia, nec ad eorum formam verbis depingendam styli sollertia minor. Is erat qui nunc urbanorum magisque urbanarum colloquio, nunc silvarum silentio delectatus, omnes delicias voluptatesque vitæ vicissim delibaret, nomine Πολύφιλος; quem non solum suæ ætatis mores, sed etiam musculorum feliumque æterna bella aut ducta a formicis funera inspicere juvaret. Sæpe quidem, quod apud Vergilium nunquam fit, in ejus scriptis, fabulis scilicet, bestiæ

personam induunt, hominumque habitum et sermonem imitantur : leo in aula regnat et, lupis vulpibusque plaudentibus, contionem habet. Quid postea? Sæpissime, more Vergilii, poeta uniuscujusque bestiæ vultum gestumque reddere atque agrestium locorum odorem et colorem descriptioni infundere percallet. Sic asini, simii, catuli, cuniculi, leporis, mustellæ, ranæ, culicis, pullorum in nido noctuæ stridentium verissimam spirantemque imaginem passim effinxit : sic longipedis ardeæ incessum et bibentis columbæ gratiam immortalibus versibus expressit.

At quam dissimili animi affectu Fontanius Vergiliusque ad bestias accesserunt ! Nempe Fontanius comici aliquid in earum moribus ingenioque esse et docet et docendo recreatur. Haud equidem contendo, qui scarabeum pro vicino amicoque cuniculo junctis manibus flexisque genibus aquilæ supplicantem, et columbum fratris desiderio consumptum, et perdicem ad servandos pullos venatoris canisque minas in se ipsam vertentem cecinit, ab eo ignoratum neglectumve esse animalium pectus. Frequentius tamen facetæ eorum calliditati, facetus ipse, laudem tribuit. Nec vulpes modo apud illum versuta et ingeniosa : huc ades, exempli causa, felium illustrissima, quæ tum a tigno, mortuam mentita, pendere, tum farina respersa in farinario horreo insidiari consueveras ! Tuque, mus longæve, quem, cauda quidem pugnando amissa truncum, multa autem belli experientia

auctum, hostis perfidia non fefellit! Omnes bestiarum dolos Fontanius subridens recenset, atque ita narrat ut mentis humanæ acumen sortitæ esse videantur ; nam multa est in ejus grege ad quam ipsius magistri lepida malitia redundaverit. Si qua rursus stolida aut inconsulta est, ex ejus stultitia quoque nascitur risus. Quare nihil illo opere festivius ; nec injuria nobis variam amplamque comœdiam poeta promisit.

Est sane ubi Vergilium in media descriptione lene subridentem invenias, ut scilicet cum apum prœlia describit :

> .... namque morantes
> Martius ille æris rauci canor increpat, et vox
> Auditur fractos sonitus imitata tubarum... (1).
>
> ...... Ipsa ad prætoria densæ
> Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem... (2)

tantosque motus animorum exigui pulveris jactu compressos quiescere fatetur (3). Raro tamen ille subridet : factis etiam quibus animalium intelligentia maxime declarari solet, non exhilaratur ; movetur magis, quippe qui tantæ prudentiæ industriæque non nisi curtam ingratamque mercedem concedi meminerit. Ceterum, sæpius eorum pectus

(1) G. IV, 70-72. Idem fere Varro (lib. III, xvi, § 9) : « Iique duces conficiunt quædam ad vocem ut imitatione tubæ. Tum id faciunt, cum inter se signa pacis ac belli habeant. »

(2) G. IV, 75-76.

(3) G. IV, 86-87. Cf. etiam 201-202 :

> .... ipsæ regem *parvosque Quirites*
> Sufficiunt.

quam mentem laudat; quanta sit fere omnium bonitas, quanta omnium miseria, nos admonet, ita ut, omnibus succurrere aut saltem parcere discamus.

Si qua igitur in sequentibus sæculis, minore quidem aut omnino diversa arte scripta, opera exstiterunt, quibus aut bovi contumelias laboremque injustum ferenti (1), aut cruciato a pueris bufoni (2), aut trucidato a venatoribus lupo (3), aut cani dominum desideranti (4), aut confecto ætate equo (5), aut minimis avibus insectisque animalibus (6) hominum misericordia conciliaretur, res dubitationem non habet : hic est vergiliani aliquid.

Eo enim tempore quo exspectabatur illius adventus qui homines fratres esse dicturus eosque ut mutuo amore jungerentur hortaturus erat, alios esse nobis fratres, humillimos quidem, fratres tamen, Vergilius dictitabat. Et nunc ejus umbræ per Elysios campos evaganti, cum Lauso, Euryalo, Eurydice, Camilla ceterisque comites eunt tauri, capellæ, apes, omnia denique animalia quæ in suæ gloriæ communionem accepit :

Nec te pæniteat pecoris, divine poeta !

(1) Cf. Palissy : *La Recepte véritable.*
(2) V. Hugo : *Le Crapaud.*
(3) A. de Vigny : *La Mort du Loup.*
(4) Lamartine : *Jocelyn ;* Neuvième Epoque.
(5) Tolstoï : *Histoire d'un Cheval.* Cf. etiam de equa Froufrou, *Anna Karénine,* I, 205 ; de longæva cane Laska, *ibid.* I, 170; II, 204 ; de longævo cane Rougaï, *La Guerre et la Paix,* II, 85-103.
(6) Michelet : *L'Oiseau ; L'Insecte.*

VIDI AC PERLEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XVI kal. jul.
ann. MDCCCXCV

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

8

ARGUMENTUM

PICTAVII. — TYPIS OUDIN ET SOC.